STROBELBERGERI

MASTICHOLOGIA

1628

25
10

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark
STROBELBERGER,
J.S.

65825/A

XIV $_2$

JOH. STEPHANI STRO-
BELBERGERI, MED. DOCTORIS, &c.

MASTICHOLOGIA

Seu

De univerſa Maſtiches Naturâ
DISSERTATIO MEDICA;

In qua & Arboris LENTISCI, *& nobiliſſimæ ejus Gummi-Reſinæ,* MASTICHES, *Nomenclaturæ, Deſcriptiones, Loci Natales, Culturæ, Qualitates, Varietas, Dignitas, Electio, Probatio, Collectio, Æſtimatio, Succedanea, Utilitas, ac indè parata medicamenta Officinalia, Magiſtralia & Artificialia deſcribuntur.*

Declaratis inſuper quibuſdam Dubiis, ac obſcuris Autorum lectionibus, dicteriisq;.

Ad Nob. & Magnif. Virum

Dn. D. Guilhel. Rechpergerum,

Sac. Cæſ. Maj. Perſonæ Medicum,

Germaniæ Archiatrum, &c.

LIPSIÆ,

Impenſis. Eliæ Rebefeldi & Joh. Groſii.

Typis exſcribebat JUSTUS JANSONIUS.

ANNO M. DC. XXVIII.

D. PETRUS JANICHIUS, THORUNENSIS PHYSICUS.

AD JOH. STEPH. STROBEL-BERGERUM, MED. DOCTOREM.

Inter alia.

Ex Thorunio. 23. Febr. 1627.

—— De Maſtichologiæ tuæ editione cur in Intimatione tua nunc adeò altum ſilentium? An jam in lucem prodiit? Si non, ex tenebris illam protrahe. Nam & hîc apud nos Syrupi Maſtichini uſus eſt, in affectibus capitis, pectoris & pulmonum, nec non ventriculi & inteſtinorum, &c. Oleum quoque Maſtichinum hîc habemus, non modò vulgariter præparatum, ſed etiam per deliquium in cella factum, dum in ovi duriter cocti albumine (exempto vitello) incluſus Maſticis pulvis ſponte liqueſcit. Tuum quoque diſſolvendi modum Magiſtralem nos latere ne patiaris, ut nec Antipyretici tui Arcanum, &c.

JOH. STEPHANI à MONTE STROBILORUM, MED. DOCTORIS,

MASTICHOLOGIÆ Sectio Prior. DE LENTISCO.

Etymon.

LEntiſcus, *i. f. g. arbor eſt, Maſtichen ſudans, Latinis ſeu Romanis ſic dicta, quòd* lentore *quodam folia ejus* lenteſcant. Nam & reſinam ubiq; ſudat: *Unde foliorum lentorem attrectatu quilibet percipit.* A Lenteo, *verbo, quaſi lentus fio, propter ejus virgultorum lentitudinem.*

Quid Lentiſcus, & unde dicatur?

Nizol.

Joh. Bapt. Porta in Vill. lib. 2.

Lentiſcum, neutro quoq; genere dicitur, ut Geo. Jodoco Bergano, qui de Lentiſco è montibus Gardæ ſic canit:

In Benaco ſuo, p. 16.

Intereà (jam pulſa fames, epulæq́; remotæ)
Apponunt menſis famuli bellaria, frondens
Lentiſcum Charides propria de rupe, decoræ
Ancillæ apportant ——

Præſertim verò, quando pro arboris ligno ſumitur, ut apud Martial. lib. 14. 22.

Lentiſcum melius: ſed ſi tibi frondea cuſpis
Deſuerit, dentes penna levare poteſt.

Lentiſci Denominativa.

Derivatur exinde Lentiſcinus, a, um, *pen. corr. è Lentiſco factum, ut Oleum lentiſcinum. Plin. lib. 23. c. 2. 7. &* Lentiſciferus, a, um, *ferens Lentiſcos, ut* Linternum lentiſciferum, *Ovid. 15. metamorph. pro Campaniæ vico, ubi Scipio Africanus invidiæ cedens obiit ac ſepultus eſt: &* Lentiſma, *antiqua vox, pro Lentiſci reſina, apud Brunfelſium.*

Nomenclatura.

Theocrit. Idyl. ε.
Henric. Steph. in theſ. ling. græc.

Lentiſcus, *Græcis* Σχῖνος, ου, ἡ: *quaſi* χιστὸς *fiſſilis: forſan* παρὰ τὸ χί-ζεσθαι, *quòd ejus* χίδαξι *frequenter ſolerent uti ad repurgandos dentes, ut etiamnum ſit hodie.* *Non*

Non autem χοῖνος, ου, ὁ; *aut* χοίνος, *quod juncus eſt, ſeu funis, ut peſſimè Lexica quædam legunt, librariorum vitio.* Geſner. in Catalog. plant.

In Apulia vocatur adhuc noſtris temporibus Stinchi, *corrupto vocabulo, à græco* χῖνος. Joach. Camerar. in hort. p. 86.

Arabibus & Mauritanis, Daru.

Hiſpanis, Mata, Xarveca, & Arcoyra. Dodonæus.

Luſitanis, Arveria.

Italis, Lentiſco.

Gallis, Lentiſque, *dont on fait les curedens.* Geſn. l. c.

Narbonenſibus, Reſtincle.

Pharmacopæis ibidem Reſtencle.

Mompeſſulanis, Reſtringe. Idem. & Rivius in annot. ad Dioſc.

Anglis, Maſtictrée.

Germanis, Maſtixbaum.

Plantæ Delineatio.

Fruticat & Arboreſcit Lentiſcus, ſtolonibus & candice concolor & ſimilis Terebintho majori. Interdum verò Lobelius.

cum non reſecatur & negligitur (ut pleriſq; ad Anam flumen locis obſervavit Cluſius,) in arborem juſtæ excreſcit magnitudinis. Unde Avicennas lib. 2. tr. 2. cap. 461. Arborem Maſticis *appellat; & Aëtius tetrab. 1. ſerm. 1.* Arbuſtum; *& Lonicerus cum cæteris Germanis,* Maſtixbaum / *in Herb. part. 1. c. 80. & quercus magnitudinem æmulari garrit; admodumq;* proceram arborem *notat Renodæus in Pharm.*

Dodon. pempt. 6. l. 5. c. 20. *Sæpius vero ad* mediocris arboris *altitudinem aſſurgit, & magnitudinem aſſequitur.*

Idem. Dalecham pius. Cluſius. *Frequenter tamen & maxima ex parte ſolùm* fruticat, *multis ab una radice virgultis aſſurgens, lentis, & viminis inſtar, aut Corylorum ſylveſtrium modo huc illuc obſequioſis, cortice cinereo obductis, ramuſculorumq; ſummitatibus ad terram inflexis.*

Folia.

(a) Matthiol. in Folia, *Myrti æmula* (a) *aut Glycyrrhizæ*

rhizæ; (b) *firmiora tamen & duriora, atro obſcuro, ſeu ſaturato virore ſplendentia, alata, hoc eſt, in longo pediculo utrinq; ſita, foliorum octonorum inter ſe ſemper ex uno proceſſu ſeu pari utrinq; exortu prodeuntium contrariis pediculis ſingulis, ut in Terebintho, Juglande, Fraxino, Sorbo & plerisq; aliis, ac proindè nullo extremo, imparitatem ut in illis faciente, cum quibuſdam venulis & fronde perpetua; pinguia, friabilia, ſuaviter ſpirantia.* epit. plant. p. 50. (b) Cluſ.

Odor Foliorum & Plantæ.

Controverſia, de odore Lentiſci.

Atqui bellum exoritur, inter Matthiolum & Lobelium. Ille totam plantam graviter olere, *vult*; quapropter, *inquit*, nonnulli, quòd tactu (c) aggravet, ipſam devitant.

(c) An rectiùs olfactu? Adverſ. p. 414.

Nobis autem, *inquit Hic*, aliisq; ſtudioſis, ſaltus & colles aridos Narbonæ peragrantibus, inſerta in os folia, non modò ſuaviter ſpirabant,

 ſed

ſed etiam ſitim acerbant, & fauces humidas tuebantur.

Prætereà, Dalechampius à partibus Penæ & Lobelii ſtans, ſciunt, *ſuggerit,* qui Maſtichen norunt, Lentiſci ſurculos, ut Xylobalſami ſuccedaneum in Officinis uſurpari; Lentiſcinisq́ Dentiſcalpiis poſt epulas dentes mũdantes, illius opinioni refragantur.

Conciliatio.

His igitur pacem innuit Cluſius, cum inquit: Folia, jucundi quidem, ſed cum quadam gravitate, odoris: Sapore nihilominùs acidiuſculo & adſtringente.

Flos.

Flores, Terebinthi ſimiles, primo vere, Aprili menſe promuntur, muſcoſi, colore ex herbido palleſcente, nonnihil purpuraſcentes, inq́ alarum cavis circum oblongum pediculum racematim cohærentes: Ex quibus etiam apes mel conficere, Palladius dixit.

Clus. Mel ex Lentiſco.

Fructus.

Fructus.

Poſt flores, Fructus racemoſus, Terebinthi modo, initio viridis, mox ex purpureo rubens, per maturitatem niger & oleaginoſus, ervi magnitudine, nucleo duro, nigro, candidam medullam continente, Octobri & Novembri primùm matureſcit. Idem.

Lentiſci iſtum fructum & Baccas, σχινίδας *appellat Hippocrates, lib. de nat. mul.* l. 1 c. 75. *Quanquam Exemplaria græca falsò* ἐσχινίδας *habeant.* Si ex partu, *inquit ibi,* inflammatio concepta fuerit, poſt collutiones purgantes, Lentiſci foliis, in vino nigro odorato decoctis, collutio fieri debet. *Ubi tamen Foëſius* σχοίνου φύλλα *legit. Si tamen, (addit Hermolaus) librariorum culpa* non Schinides, *ſed* Schœnides *legendum ſit, ſicut & Cechrides pro Cedrides.* Cornarius Dalechamp. Nizol.

Baccas iſtas Plinius velut olivas & corna in cadis condi ſcripſit, ne quid non hominis ventri natum eſſe videretur.

Utriculi Lentiſci.

Præter autem racemoſos iſtos fructus, & veſiculas, folliculos, utriculosq́ profert, foliis nonnunquam adnatos, oblongos, rotundos aut incurvos, teresq́, corniculi modo intortos, in quibus includitur liquor limpidus, qui tandem veteraſcens in culices beſtiolaſvè vertitur, iis perſimiles, quæ ex ulmi complicatis foliis & Terebinthi folliculis evolant.

Animalcula è Lentiſco.

Sic igitur non propriam tantùm ſpeciem, ſed & animalcula procreat Lentiſcus, more Caprifici, Populi, Terebinthi, quas diverſa inſectorum genera gignere compertū eſt, non quidem alterius indigentes ſexus auxilio, ſed ſolas.

Joh. Bapt. Porta l. c.

Quæſtio.

An Lentiſcus ter floreat, ac Trifera ſit?

in Geopon. lib 11.

Lentiſcum baccas ferre, idq́ ter quotannis, Conſtantinus tradit: ἡ σχῖνος τρεῖς καρποὺς φέρει, καὶ εἰ μὲν ὁ πρῶτος καρπὸς καλὸς γένηται, τὸν πρῶτον σπόρον καλῶς καρποφορεῖν σημαίνει. ὁμοίως δὲ καὶ

δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. *Quod Prognoſticon Aratus quoq; refert in ſuis* Διοσημείοις, *v. 1051: Cujus Divinationem Cicero interpretatus*, ter Lentiſcum florere prodidit. lib. de Divin.

Jam verò ſemper viridis, ſemperq; gravata,
Lentiſcus triplici ſolita grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Ciceroni poſtea eodem modo Plinius ſubſcripſit; Et Feſtus Avienus de Lentiſco loquens, lib. 18. c. 25.

—— Ter, ait, *fructum concipit arbos,*
Terq; novos genetrix fructus alit, ipſaq; trino
Flore renideſcens, tria tempora prodit arandi.

At minimè particulatim flores promit, ſed ſemel, primo vere, Aprili menſe. Teſte Dalech & Lobel.

Tanto igitur in errore hactenus verſati, Tanti Viri, *cujus cauſa fuit, dictio* σχῖνος, *quæ interdum, præſertim antiquis, &* ἡ σκίλλα, *Scilla vel Squilla dicebatur. Unde & Hippocratem* σχῖνον *vocaſſe non ſolùm* τὸ θαμνῶδες φυτὸν, *nimirum Lentiſcum, ſed etiam* εἶδος τῆς

σκίλλης. aut etiam πάσης σκίλλης τὸ βολ-
βὸν, *Galenus teſtatur.*

In Lexico ſuo.

Apud Ariſtoph. quoque in Plut. συμπαραμιγνύων ὀπὰν ἐς ἐχῖνον, *Scol. exponit* σκίλλαν, *Scillam.*

Hæc quidem trino flore arationis tria tempora indicat, ut de Lentiſco putant, teſte Theophraſto, lib. 7. hiſt. plant. cap. 12 Hinc & Plinius, lib. 21. cap. 17. ipſam ter florere, ac ſic tria ſationum tempora oſtendere, narrat; forſan ex Arato etiam, ex quo ita Feſtus Avienus:

Ter prorumpentis Scillæ teres erigitur flos,
Sulcandiq; ſolum ter monſtrat tempus adeſſe.

Sed & hîc in errore verſantur, ſi τρὶς ἀνθεῖν, *id eſt, ter florere, pro* ποιεῖσθαι τρεῖς ἀνθήσεις, *intelligunt. Ubi nempe non ſimpliciter ſignificatur, Scillam tribus diverſis temporibus anni, e. g. Autumno, Vere, Æſtate, florem edere, ſed inter bulboſas plantas Scillam & Aſphodelum quàm diutiſſimè florere, ob alimenti copiam & ubertatem, quod Theophraſtus* τὴν ἄνθησιν κατὰ μέρος

μέρος ποιεῖν dicit, ut ab ima caulis parte primùm incipiat. Auguſti enim menſis principio Scillæ caulis aſſurgit cubitalis aut etiam procerior, denſiſſimè ſtipatus floribus, qui primum diducuntur, ac interim dum aperti vigent, medii turgeſcunt, ſupremi gliſcunt duntaxat, quæ πρώτη ἄνθησις eſt, ſeu primus ad floreſcendum impetus. Exactis aliquot diebus flores qui primi recluſi fuerunt, dilabuntur, medii ſeſe promunt, ſupremi tantùm intumeſcunt, quæ eſt ſecunda ἄνθησις. Poſtremò defluentibus mediis ſupremi ſeſe explicant, quæ eſt tertia ἄνθησις. Hic floreſcendi ter repetitus impetus terram quoq; ter ſubigi oportere denunciat, priuſquàm fruges ſerantur.

Dalech. libro xv. c. xv. de Scylla.

Quod ſic de Scilla prodidêre veteres, illi de Lentiſco literis mandâre perperam.

Deciſio.

An igitur eodem modo rectiùs forſan Amatus Luſitanus, iſtos verſus ad folia refert, ſic inquiens: Ramuli ha-

bent folia perpetuò virentia, qualia in arboribus piſtatiorum videmus. Sunt enim illa, ut noſcas, olivæ foliorum figuram imitantia, nunquam ab arbore decidentia; *ob quæ forſan Cicero de Lentiſco ita cecinit:*

Jam verò ſemper viridis, &c.

An Marcellus Vergilius, qui ad folia & fructum, ac proin, ſemper viridi, ſemperq; triplici fœtu grandeſcere *Lentiſcum, memorat.*

Divinatio à Lentiſco.

Potior igitur quàm nunc, quondam Lentiſcus fuit, & ruſticis ad Divinationes tota neceſſaria, ut cœli & in eo ſyderum imperiti, arandi ſuorum operum auſpicia ex propinqua arbore certiùs cognoſcere poſſent. Nibil enim nobis occultum Natura in diſciplina ruris eſſe voluit.

Locus natalis, Patria & Cœlum.

Perpetua fronde ac copioſiſſime naſcitur ac viret Lentiſcus in Chio, *Ægei Maris*

Maris Inſula: Dein in Ægypto, Creta, Syria, *&* Græcia. *Frequens etiam in univerſa ferè* Italia, *præſertim* Hetruria; *Senenſibusq; maritimis, in Lyguris, ac ruinarum Romanarum maceriis, collapſis ædificiis, ruderibus, monumentisq; (ſed folliculis inanibus ac deformibus:) toto prætereà illo Maris Tyrrheni tractu, Cajetam usq;, & circa Neapolim, ubi & proceræ naſcuntur & humiles, Maſtichen producentes, in Campania maximè, ſed non ea abundantia, qua in Chio & Creta Inſulis: Frigida enim loca naturâ horret; ideò ob remiſsiorem calorem, hæc quàm illa minùs reſudationibus apta ſunt.* Bellon. libro 1. Obſ. c. 44. (Hermolaus.) Melichius in Comm. Elect. de Arom.

Quare immeritò reprehenditur à nonnullis Avicennas, quòd Maſtiches Italicæ *meminerit, quippe qui exiſtimant fortaſſe Maſtichen non alibi, quàm in Chio naſci; in quo vehementer errant, arguiq; poſſunt Galeni & Avicennæ autoritate, qui non ſolum Chiam Maſtichen memorant, ſed etiam Ægyptiam.* Dalech. amp. Amatus.

Prove-

Idem. *Provenit etiam copioſè in univerſa ferè* Hiſpania, *inprimis per Luſitaniam, Boëtiam, Regnum Valentinum,*
Matthiol. *& toto illo Tractu ad Mare mediterraneum obverſo.*

Sempervivacis Lentiſci feraciſſima quoq; univerſa Narbonenſis Galliæ *ora maritima, quæ ad Taurinorum juga, quæq; ad montes Pyreneos protenditur. Illic enim Lentiſci virgultis ac cremiis, quàm quovis ligno magis ad calfacienda clibana utuntur. Nec præterquam*
Lobel. *unam norunt ſpeciem, quam* reſtincle *vocant. Ideoq; fallitur & fallit Matthiolus, quòd pumillas referens Lentiſcos alias à proceribus ſpecie facit. Fit enim tantùm reſectis cymis ad uſum, ne in arboris æmulationem aſſurgant.*

Renodæus, de mat. med. lib. 1. ſect. 9. c. 1. *Ægrè Lentiſci fruticant Lutetiæ; duæ tamen viſuntur in horto Joan Gonerij, rei herbariæ ſtudioſiſſimi, ſed quæ ſævitiam hyemis ægrè perferunt.*

In Germania *Lentiſcum non provenire, Rivius teſtatur; Unde Germaniæ*

mania incognitam Cornarius pronunciavit. Embl. in Dioſ. 72.

Solum; Cultura; Satio.

Et ruderibus, & maritimis latius Lentiſcus emicat, ut in conflagratis Veſuvii ſaxis. Bapt. Porta.

Didymus humidis locis naſci, àq; Calendis Januarii plantari dixit.

Plutarchus Chæroneus in hortis Soceri, quos Cephiſus amnis ambiebat, vidit: Ibidemq; ex Lentiſco Oleas pullulantes ſe aſpexiſſe, ſcripſit.

Lentiſcum quoq; ex ſemine enatam, ſed ab hyemis injuria diligenter cuſtodiendam, Camerarius memorat. In Horto ſuo, pag. 86.

Omnia, *inquit Theophr. de cauſ. plant. lib. 5. cap. 11.* quæ Lentiſco inſerta terræ mandantur, minus vermiculationem ſentiunt, odoris fervorisq; cauſa. *Et alibi:* Meliora evadunt, & quæ Lentiſco aut Scillæ in- cap. 7.

ſerta terræ mandantur: Habet enim utraq; humorem, caloremq; aliquem, & ſit velut inſitio quædam.

Qualitas, Facultas.

Toti Lentiſco vis ineſt adſtrin-
lib. 1. c. 75. gendi, *inquit Dioſcorides*; Etenim fructus ejus, folium, cortexq; ramorum & radicis, parem facultatem ſortiuntur. *Sic Lacuna ex Græco aliter, quam Ruellius, vertit: Cui adſtipula-*
Embl. 72. in Dioſc. *tur Cornarius:* καὶ γὰρ ὁ καρπὸς αὐτῆς, καὶ τὸ φύλλον, καὶ ὁ φλοιὸς τῶν κλάδων, καὶ ἡ τῆς ῥίζης ἰσοδυναμοῖ.

Tetrab. 1. ſerm. 1. Lentiſcus, *Aëtio teſte*, ex ſubſtantia aquea, leniter calida, & terrea non multum frigida, componitur, propter quam etiam moderatè adſtringit. Siccat igitur tertii ordinis initio, juxta caliditatem verò & frigiditatem temperatè.

lib. 2. tr. 2. c. 461. Arbor Lentiſci, *ait Avicennas*, eſt compoſita ex aqueitate pauca & terreitate plurima.

Lenti-

Lentiſcus, *dicente Petro de Creſcentius*, calidæ & ſiccæ complexionis eſt, virtutem habet conſtringendi & conſolidandi. Lib. 6.

Vires, Uſusq;.

Ex Dioſcoride: *Lentiſcus ſua adſtringendi dote, valet adverſus ſanguinis rejectiones, alvi profluvia & dyſenterias, in potu: item contra eruptionem ſanguinis è vulva, & ejuſdem aut ſedis procidentiam. In totum Acatiæ & hypociſtidis vicem repræſentat. Idem facit ſuccus è tritis foliis. Decoctum fotu cava explet, & fracta oſſa ferruminat, vulvæ fluxiones ſiſtit, nomas arcet, urinam pellit; motus dentium collutione ſtabilit.* l. c.

Ex Plinio: *Lentiſci, & arbores, & ſemen, & cortex, urinam ciunt, alvum ſiſtunt. Decoctum eorum, ulceribus, quæ ſerpunt, fotu. Illinitur in humidis & Igni Sacro, gingivas colluunt. Folia dentibus in dolore* lib. 24. c. 7.

atteruntur, mobiles decocto colluuntur. Capillum tingunt. Folia tenera oculis inflammatis illinuntur. Medetur & attritis partibus, ſive oleo è ſemine ejus facto ceræq; mixto, ſive foliis ex oleo decoctis, ſive cum aqua virilia foveantur.

lib. 6. Ex Petro de Creſcentiis: *Contra fluxum menſtruorum & dyſenteriam & vomitum ex debilitate virtutis contentivæ, faſciculi parvi facti cum foliis decoquuntur in aceto, & pectini & renibus cataplaſma factum ſupponitur, & contra vomitum ſuper furculam pectoris. Contra paſſiones prædictas, teneritates lentiſci bulliant uſq; ad aceti conſumptionem, dein ſiccentur, & fiat inde pulvis, qui detur in cibis & potibus. Contra ulcerationes virgæ pulvis factus ex foliis ejus ſuper teſtam calidam deſiccatis ulcera conſolidat & ſaniem conſumit, ſed non debet poni, niſi quando eſt ſanies. Contra ulcerationem oris, linguæ & labiorum in febre acuta,*

ecuta, fiat decoctio ejus foliorum in aceto, & patiens ſæpè gargarizet.

Ex Herbario Caſtoris Durantes: Cap. de Lentiſco.

Urinam ciet, aſtringit Lentiſcus, & alvum
Siſtit, & ulceribus ſerpentibus auxiliatur;
Profluvioq; alvi, dyſentericisq; medetur;
Gingivas reprimit, dentes ſtabilitq;, caducæ
& vulvæ, & ſedi confert; halitus & odorem
Commendat, prodeſt ne ſanguis recipiatur
Plusq; æquo, aut nimis hac undantia men-
ſtrua ſiſtit.

Oleum Lentiſci.

Oleum ex fructu, ſemine ſeu baccis fit, Græcè ἔλαιον σχίνινον, *Hiſpanis* olio de Lentiſco, *ſeu* olio de mata, *Luſitanis*, olio de Arveira, *dictum.*

Ex maturis Lentiſci Baccis exprimitur in Gallia Narbonenſi, magni ad varia uſus, quod in peregrinas regiones aſportatur. In multis quoq; Italiæ locis, præcipuè propè Senas civitatem. Ac pluribus locis Hetruriæ, Ilva præſertim & Gilio Tyrrheni Inſulis: Ubi Amatus.

Olei Lentiſcini parandi modus. *racemoſas Lentiſci baccas aſſumunt, & à putaminibus cunctis expurgant, permittuntq́ue aliquot diebus ſimul flacceſcere: deinde magnum in ahenum collocant, affuſa aqua: Et igni tamdiu fervent, donec baccæ dehiſcant, demum eas extrahunt, & ſaccis includunt, præloq́ue ſubjiciunt, expreſſumq́ue aſſervant oleum. Quod & quibuſdam Adriatici Inſulis hac ſimiliter ratione confici audio, abſq́ue alterius cujusvis olei adminiculo: ſiquidem fructus is per ſe olei ſatis emittit.*

Uſus. *Incolæ ad acuendam oculorum aciem, caliginesq́ue delendas, illud cibis commiſcent, quod tamen magno etiam juvamento in dyſentericis uſui venit, non quidem potu exhibitum, ſed clyſteribus infuſum.*

Hodierni Unguentarii, Hiſpaniæ maximè, utuntur pro inficiendis chirothecis ſeu manicis.

Cap. 728. Nicolaus Alexandrinus, *Baccas Lentiſci maturas collectas, & modicum contu-*

contuſas in aqua coqui jubet, fortiterq́; colari, cumq́; infrigidatum fuerit, illud pingue, quod ſupernataverit, colligi, & reconditum uſui ſervari: Quod malacticæ & ſtypticæ virtutis eſſe, aſſerit, hordeola & furfures capitis, lentigines & ſudores faciei curare & clarificare, bonumq́; colorem reddere, duritiem ſtomachi & aliorum membrorum dolorem malaxare, cœliacam & dyſenteriam inunctum ſive injectum optimè ſtringere.

Dioſcorides, *Laurini olei modo confici & anteà ſpiſſari, docet: Undè Canum & jumentorum ſcabiem ſanare, miſceri peſſulis aptiſſimè, acopis, & his quæ contra lepras conficiuntur: & præter hæc ſudores compeſcere.*

lib. 1. c. 41. Marc. Vergil. interpr.

Aëtius, *ex fructu Lentiſci per ſe, aut cum olivis permixto fieri, tradit: Utileq́; eſſe ſincerum & immixtum ori & fluxionibus infeſtato, & gingivis inflammatis, calidum in ore detentum in balneo, tum citra balneum; repellit*

enim & roborat citra exaſperationem: quare etiam in jecoris ac ſtomachi fotus ac rigationes commodè aſſumi.

Galenus *quoque, gingivis ex inflammatione dolentibus optimum pharmacum eſſe Oleum Lentiſcinum, confirmat, caliditate temperatum, ore retentum, ac recens. Nam vetuſtius tantò recentiore pejus eſt, quantò ætate antecellit. Imponatur autem, inquit, vaſculum, in quo calefit Lentiſcinum, in aliud majus vas, quod ſatis aquæ calidæ complectatur. Maximoperè itaq; inflammationi gingivarum hoc conducit. Nec verò minùs etiam, ſi juxta aliam quandam partem, cum pelliculæ linguam ambientis, tum ſuccingentis totum os, aliquis dolor ob inflammationem oriatur, dolorem ſedat Lentiſcinum; repellit enim citra moleſtiam & abſq; aſperitate, quam pleraq; auſterorum habent, diſcutitq; citra mordacitatem, cujus rei inflammatis præcipuus uſus exiſtit.*

Meſues

Meſues, *partes nervoſas & articulos laxandi, muſculos roborandi vim tribuit, Maſtichino tamen magis, quàm Lentiſcino, convenientem.*

Avicennas, *Oleum arboris hujus conferre ſcabiei, docet, itaq; ſcabiei pecudum & canum.* lib.2. tr.2. c. 461.

At, quî intelligendum venit ex Dioſcoride, Oleum Lentiſcinum ſudores cohibere: nec ſecus Terebinthinum fieri, quod refrigeret & adſtringat? Quæſtio.

Mendum ſubeſſe putat Matthiolus, niſi ſibi ipſi repugnaret Dioſcorides, cum in Terebinthi mentione ejus fructus excalefaecere ſcripſerit: hîc verò, oleo ex eiſdem parato refrigerandi ineſſe facultatem. Cui depravatæ lectioni hoc quoq; refragari putat, quòd Græcos Dioſc. Codices habeat, in quibus verba illa, de Terebinthini Olei facultatibus non leguntur, ſed de ejus tan- Quorundam opinio.

tùm conficiendi ratione habetur mentio.

Quod Monardus etiam obſervans, probandus magis, *inquit*, invulgatus græcus codex alter, in quo nulla vinum mentio, ſed præparatio tantùm Terebinthini olei docetur. Quamobrem crederem, *addit Amatus Luſitanus*, verbum hoc, ET REFRIGERAT, capiti huic ſuperadditum eſſe. *Cui & Marcellus Vergilius conſentire videtur, dum verba hæc*, (adſtringitq; & refrigerat) παρενθετικῶς *à Capite ſecludit.*

Aliter tamen Cornarius: Quòd Dioſcorides, *inquit*, frigefacere Terebinthini oleum profitetur, aut à parum animadvertente proditum eſt. (Nam θερμαντικὸν Terebinthi fructum alibi dixit:) aut ψύχει pro ξηραίνει ſcripſit: Nam ſiccare Galenus teſtatur.

Autoris mens. *Nos autem verba iſta non tam abjicienda, quàm exſcriptionis lapſu tranſ-*

tranſpoſita eſſe, proindeq́; in poſterum aut ſic legenda arbitramur: Sudores compeſcit, adſtringitq́; & refrigerat, nec ſecus ac Terebinthinum fieri ſolet: *Aut:* Conficitur ſimiliter ut Terebinthinum, ac præterea ſudores compeſcit, adſtringit & refrigerat; *Aut ſanè, ſi ordo verborum juxta fidem Græcorum Codicum ſervandus eſt, ſic: tunc,* adſtringere refrigerareq́;, *non ad* Terebinthinum, *ſed* Lentiſcinum, *referenda eſſe.*

Etenim ob refrigerandi vim, gingivis ex inflammatione dolentibus opitulari, ſuprà ex Galeno recenſuimus, & repellere citra moleſtiam & absq; aſperitate, quam cætera pleraq; auſterorum habent; quod etiam Caſtor Durantes teſtatur, in Herbario ſuo Italico, inquiens: L' olio, che ſi cava del ſuo ſeme è frigido, & conſtrettivo. *Interim tamen errorem parit, Bonus ille Vir, quando ibidem dicit:* L' olio fatto del frutti del Lentiſco provoca il ſudo-

Error Durantis & Loniceri.

part.1.c.80 ſudore: *Et Lonicerus in Herbario ſuo Germanico perperam ſcribens:* Das Oel vom Baum *Lentiſco* mache ſchwitzen. *Non enim provocare, ſed compeſcere ſudores ex Dioſcoride auditum eſt.*

Vinum Lentiſcinum ex Dioſcoride.

lib.5.c.33. ex noſtra interpret.

Fit, ut Myrtinum, ex ramulis fructu gravidis. Adſtringit, & ſtomacho appropriatum eſt, quin & defluxionibus internis, ventriculo, veſicæ & inteſtinis moleſtiam afferentibus: In ſumma prodeſt omnibus fluxionibus ſanguinolentis. Fomentatio exindè facta inſervit inductioni cicatricum pro ulceribus catarrho & defluxioni obnoxiis: Fomentatio etiam partium infernarum ſiſtit fluores ſupernè illabentes, & naturalia mulierum affligentes.

in lib. 5. cap. 34.

Cornarius, *autem ſic:* Et lentiſcinum vinum ſimiliter ut Myrſinites paratur. (Nam rami unà cum fructibus ſumuntur:) Adſtringit, ſtomacho

ſtomacho commodum eſt, fluxionibus ſtomachi, inteſtinorum, veſicæ, & ſanguinis eruptioni convenit. Omnia fluida ulcera, ſi eo perfundantur ac foveantur ad cicatricem perducit: fluxiones etiam circa uterum & ſedem inſeſſu reprimit.

Fit autem Myrtinum hoc modo: Accipe ramos Myrti cum foliis & baccis, pondere lib. X. contunde, & fac bullire in tribus Muſti congiis, usq; ad tertiæ partis, vel medietatis conſumptionem: Colatura ſervetur pro uſu.

Dentiſcalpia Lentiſcina.

Virentes ſurculos acuminatæ arundinis vice dentibus affricari, *docet Dioſcorides. At notandum eſt, ubi dicit,* τὰ δὲ ξυλάρια χλωρὰ ἀντὶ καλαμίδων παρατριβόμενα τοῖς ὀδοῦσι, σμήχει τούτους: *id eſt, ut Cornarius reddit*; Ligna viridia arundinum vice dentibus adhibentur, & ipſos repurgant: *ibi vo-*

tem παραξιβόμϑνα *impropriè poni, ſi af-* fricari (*velut in dentifriciis, quæ in pulvillum comminuta affricantur, ut de Maſtiche propriè dicit*) & non velut Dentiſcalpium adhiberi *Lentiſci lignum quis accipiat, ad eximenda ea, quæ in commanſu dentibus inhærent, in quem uſum aliàs pennæ formari ſolent; quod Martialis declarat, libro 6. in Aopoph.*

Foditq; tonſis ora laxa lentiſcis.

Et alibi:

Lentiſcum meliùs, ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes penna levare poteſt.

Et lib. 3. 40. in Zoil.

Stat exoletus, ſuggeritq; ructanti
Pinnas rubentes, cuſpidesq; lentiſci.

Iſtis tamen Dentiſcalpiis & noſtra adhuc ætate elegantioris vitæ homines utuntur, tam in Hiſpaniis quàm Galliis. Hiſpani tamen majori ex parte feſtucis ex Gingidij ſive Biſnagæ umbellis detractis dentes à cibo repurgare ſolent: tametſi copiosè apud eos naſcatur Lentiſcus.

Biſnaga, pro Dentiſcalpio.

tiſcus. Sed unica Biſnagæ umbella plurima Dentiſcalpia ex tempore ſubminiſtrat.

Hodie in Languedocia, Monſpelii præſertim, optima ex Lentiſco parantur, quibus non modò repurgantur poſt paſtum dentes, ſed roborantur etiam gingivæ, oriq; conciliatur ſuavitas. Venalia ſemper proſtant apud Magnum illum Laurentium Catelanum, *pro ut in Catalogo ſingularitatum Monſpeliacarum, nomine,* Les curedents muſquez, *intimata reperiuntur, & quidem vili pretio.* Dentiſcalpia Mompelienſia.

Atqui Dentiſcalpia iſta vel ipſa commendat morum civilitas: Si quid enim, *ait Eraſmus Roterodamus,* inhæſit dentibus, non cultello, non unguibus canum feliumvè more, non mantili eximendum eſt, ſed Lentiſci cuſpide. Dentiſcalpia muſcata. Morale. de civilit. morum puerili.

Quibus tamen hujuſmodi Dentiſcalpium ſemper in ore eſt, Proverbio Lentiſcum rodere *dicuntur,* Σχῖνον Proverbium deLentiſco.

διαξώ-

διαξώγειν, & Σχινοξώγες Lentiſci arroſores, *quaſi dentibus exterendis & fucandis tantum incumbant præ deſidia: Siquidem & Dentium nimia cura olim, ut delicatulis, probro dabatur: Et Apulejo inter reliqua crimina objectum erat, quòd Calpurniano dentifricium paraſſet, juxta Carmen ex Apologia Magiæ:*

Nimia dentium cura vitio vertitur.

Jocus.

Calpurniane ſalve propriis verſibus
Miſi ut petiſti munditias dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus.
Tenuem, candificum, nobilem pulviſculum,
Complanatorem tumidulæ gingivulæ,
Converritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua viſatur tetra labes ſordium,
Reſtrictis fortè ſi labellis riſeris.

Quòd Fructus & Lignum Lentiſci, Carpobalſamo & Xylobalſamo ſuccedere queant.

Semina illa vulgaria pro Carpobalſamo vulgò recepta, eadem eſſe, quæ in multis Fœlicis Arabiæ locis ſupra Balſami fru-

Officinæ vero Carpobalſamo non deſtituuntur.

mi frutices colliguntur, omnes, qui illa loca peragrarunt, verè teſtantur, inprimis Proſper Alpinus, de Balſ. Dial. cap. 6. Neq; ullis unquam aliis Ægyptii Pharmacopœi pro Balſami fructibus ad componenda medicamenta uſi fuêre. Neq; Galenus exiſtimat homines in eorum ſeminum cognitione hallucinari ac decipi poſſe, quando Carpobalſamum non poſſe adulterari, *dixerit.* lib. de Antid.

Semen tamen ſeu Carpobalſamum Officinarum neutiquam fructus Balſami eſſe, Lobelius cenſet; imò cujuſnam plantæ ſit, ignorat, proptereaq; velut rancidum, vietum, exoletum, inodorum, minimè Carpobalſami loco uſurpandum judicat: quin potiùs hujus penuria Semen Lentiſci immaturi omnes Carpobalſami facultates & dotes, ut ſi quod aliud, explere videatur. Adverſ. p. 415.

Sic eſſe & illas virgas communiter ab omnibus Pharmacopæis pro Xylobalſamo receptas, etſi tamen iis non utantur, ex Alpini Dialogo de Balſamo, ca-

pite 6. videre eſt: Quas tamen Lentiſci ſurculos eſſe, plerumq́ carioſos, neutiquam tamen contemnendos, modò recentes ſint, nec odorem amiſerint,
Ibidem. *idem Lobelius cenſet; hujusq́ Pſeudo-xylobalſami magnam copiam pauco ære ex Italia & Gallia Narbonenſi parari poſſe innuit.*

De mat. med. lib. 1. ſect. 9. c. 1. & ſect. 3. c. 16. *Quin & Renodæus,* ob vires Lentiſci eximias *ejus ſurculos non malè pro Xylobalſamo ſubſtitui autumat.*

Sic igitur & ipſi Theriacæ pro ſuccedaneo *inſervit Lentiſcus; præterquam quòd ejus Reſinam Trochiſci Hedychroi Andromachi ex Gal. recipiant. Radicesq́ ejus & harum cortices, foliorumq́ ſuccum loco acatiæ & hypoquiſti-*
lib. 2. tr. 2. cap. 461. *dos ſubſtitui poſſe, ex Avicenna videre eſt.*

Mentio, Lentiſci Arboris,

Ex Sacris Bibliis.

Daniel. cap. 13. *Lentiſcus, Arbor fuit, ſub quâ Judæorum*

duorum accuſantium alter Suſannam adulterantem inveniſſe Danieli falsò teſtificatus eſt, ut & Porta & Lemnius annuunt.

In vill. libro 2. In Explic. herb. bibl. c. 14.

Cum enim habita eſſet quæſtio in Senatu, adſtante confertiſsima populi multitudine, de proſtituta Suſannæ pudicitia, ac commiſſo adulterio, in quo illam deprehenſam criminati ſunt veteratores duo fraudulenti & mendaces, Daniel prudenti ac divinitùs immiſſo conſilio explorata rei veritate, excuſſaq; facti cauſa, inſontem mortis periculo eximit, ac patefacta calumnia, ſuſpicione criminis illam liberat: Poſtquam enim ad ſupplicium raperetur pudica Matrona, nullius ſibi conſcia criminis, & quæ ad Deum ſuam cauſam referret, Daniel Dei Spiritu impulſus, elata voce conclamat; nullo ſuo merito illam morti adjudicatam, at rei cauſam accuratiùs excutiendam. Itaq; convocato Seniorum conſeſſu, & populi frequentia, calumniatores ſemotos aſſervari

 juſsit,

juſſit, ac ſeparatim conſtitui, deindè accito altero eorum, ſciſcitatur, ſub qua arbore Mœchus cum illa ſit congreſſus: *SUB LENTISCO, inquit: Daniel dira illi comminatus ablegat, atq; alterum produci jubet; cui cum ſimilis interrogatio proponitur de initio congreſſu, ac perpetrato illegitimo concubitu, SUB ILICE, ait: Itaq; uterq; & mendacii & illatæ calumniæ convictus, ex lege Moſis morte mulctati ſunt.*

JOH.

JOH. STEPHANI STROBELBERGERI, MED. DOCTORIS, MASTICHOLOGIÆ

Sectio Poſterior. DE MASTICHE.

Nomen.

CÆterùm *Lentiſcus non tantùm* Baccifera *eſt, ſed etiam* Reſinifera. *Manat enim exindè* præclàriſsima omnium & optima Reſina: *Quæ* ῥητίνη σχινίνη *Græcè vocatur, Latinè* Reſina Lentiſcina. *Aliàs* μαστίχη, Maſtiche, es, *pen. corr. f. g.* Dictio Maſtix.

Gazæ & Cordo, Maſticha, *vel* Maſtica, æ, *forſan à* μαστέχα ῥητίνη, *quam* Reſinam Maſtichinam *interpretatur Ruellius.* In Theoph. de hiſt. plant. lib. 6. c. 4.

Vulgò

Vulgo Maſtich.

Cornar. embl. in Dioſc. 72.

Officinis MASTIX*, voce ex Maſtiche corrupta: quæ tamen in obliquis aſpirationem ſervat, ut* Maſtichis*, & med. brevi, teſte Nebriſſenſi.*

Comm. in Lum. maj.

Malè Manlius, & Avicennæ Interpres, album maſtichen*, dixêre: Et ſui immemor inſignis ille Grammatiſta Deſpauterius, de nom. gen. lib. 1. pag. 55. inter maſcula refert: cùm tamen alibi Fœmininum eſſe contra Alexandrum, quem etiam malè in obliquis Maſtichen producere arguit, edixerit.*

lib. 2. artis verſific. p. 412.

Maſtichis addentur, *inquit Serenus*, jam fractæ millia farra.

Peregrina nomina.

Arabicè, Maſtech, Maſteche, *ſive* Maſtoche.

Avicennæ, Cobthi.

Italis, Maſtiche, *vel* Maſtice.

Hiſpanis, Almaſtiga, Maſtech.

Luſitanis, Almecega.

Belgis & Gallis, Maſtic.

Alias verò Maſtic *Gallorum & Anglo-*

Anglorum, herba Marum *eſt, teſte Lobelio, forſan quod Maſtichen quodammodò redoleat.*

Et Maſtix, maſtigis, *pen. prod. maſc. gen. Nizolio: vel* Maſtix, maſtigos, *teſte Pylade: Vel ut Deſpauterius ſcribit*, Maſtyx, maſtygos; *flagellum, ſcutica, à Græco* μαςίζω *vel* μαςιγοῶ, *flagello. Homero tamen, & Henrico Stephani, Fœmininum eſt, à Græco* μάςιξ, ιγος, ἡ: *peculiariter interdum pro morbo, ut Marci, c. 5.* ἴσθι ὑγιὴς ἀπὸ τῆς μάςιγός σου. *Num igitur Maſtix tam pro flagello, quàm Lentiſci Reſina fœmininum potiùs, & tunc ſaltem maſculum ſit, pro illo, qui contra Iliadem & Odyſſeam Homeri ſcripſit, apud Galenum, ubi Zoilum appellat* τὸν Ὁμήρου μάστιγα; *qui alioqui potiùs voce compoſita* Ὁμηρομάςιξ *appellari ſolitus eſt, viderint vel ipſi Grammaticolæ.* Orthogra. ph. p. 669. Therapev. lib. 1.

Et Maſtice, *dum corripitur, ablativus eſt, à Maſtix, non à Maſtico, as, Deſpauterio, in Arte verſif. Qui ta-* lib.3.p.562

pag. 131. *men ibidem, perperam ignorare videtur, quod Lentiſci Lachryma uſitatè & rectè vocetur &* Maſtix, *&* Maſtiche.

μάςιξ *etiam Poëticè, pro* μάςιξ *poni, Euſt. docet.*

Eſt & Promontorium quoddam Maſtichi *dictum, veteribus* Phanæa *nuncupatum, inter Pſyram Inſulam & Chion: Cujus meminit Bellonius.*

lib. 2. Obſ. c. 7. Othon. Brunfelſ. in Onom. med.

Et Maſtax, *pro Brucho, apud Nicandrum, locuſtarum genus, alis carens, gr.* ὄνος.

Maſtosq́ue, *uber eſt, &* Maſti, *teſte Cælio Rhodig. lib. 11. pag. 401.*

Maſtiche quid; An Gummi, An Reſina?

Manlio, qui alibi & Gluten Romanum *vocat, & Nizolio,* Maſtiche Lachryma eſt, ſeu Gummi Lentiſci.

Quorum opinionem, ut erroneam, refellit Dioſcorides, qui à Lentiſco Reſinam *Maſtichen dictam proferri ſcribit.*

bit. Lachrymam *verò non eſſe ex eo etiam probat Melichius, quoniam lacbrymæ aqua & liquoribus ſolvuntur; Reſina vero oleo & rebus pinguibus: Gummi etiam à frigore concreſcit, humores arboris cogente; Reſinæ autem excrementa ſunt nutrimenti plantarum; hinc &* Maſtichen *pro* Reſina *habendam eſſe cenſet.* Schol. in Elect. de Aromat.

Siquidem & Aëtius, Dodonæus, Amatus Luſitanus, Cordus, & Cornarius, Reſinam *nuncupant.* Tetrab. 1. ſerm. 1. Pempt. 6. l. 5. c. 20. Enarr. in Dioſc. Lib. 4. c. 95. d. plant. Embl. 72. in Dioſc.

Aliàs autem concreti liquores, ſeu ex ſtirpibus ferulaceis, ſeu ex fruticibus vel arboribus excelſis manarint, modò aqueis promptè diluantur, nominantur à Galeno ſpeciali nomine Gummi: *Ut qui eandem originem ſortiti oleis & pinguibus facilem admittunt diſſolutionem, in* Reſinarum *ordinem reponuntur: Qui autem inter utraq; ambigunt, & æquè aqueis & oleaginoſis dilui patiuntur,* Gummi-Reſinæ *dici merentur, cujuſmodi ſunt* Maſtiche, Distinctio inter Gummi, Reſinam & Gummi-Reſinam.

Camphora, Styrax & quædam alia, quæ lib. 1. ſect. c. 1. *nonnulli* Gummi, *alii* Reſinas *appellitant. Undè Renodæus, de mat. med.* Maſtiches vera definitio. Maſtichen *ſic definit:* Maſtiche, *inquit*, Gummi-Reſina eſt, *è* Lentiſco exudans, *&c.*

Qualis Reſina, ejusq; laus & generatio.

Maſtiches generatio. *Deſudat autem Arbor hæc Gummi modo Reſinam iſtam, non liquidam, nec cæterarum modo coëuntem, ſed aridam, grumoſam, duramq;.* Liquida quidem, *inquit Plinius*, primùm ſtillat, deinde paulatim ariditatem acquirit, pondere obulum plerumq; pendentibus, frequentiùs etiam minoribus, & nonnunquam majoribus grumis.

In Epit. *Hanc Matthiolus*, omnium Reſinarum præſtantiſſimam; In hiſtor. gen. plant. *Dalechampius*, omnium præclariſſimam; Tetrab. 1. ſerm. 1. *Aëtius*, omnibus Reſinis præferendam; Dodon. pempt. 6. lib. 5. c. 20. *Dodonæus*, omnium Reſinarum optimam, & primas partes occupantem;

prædi-

prædicant. *Et* J*URE* *hanc laudem oc-*
cupare, vult Jacobus Sylvius. de med. ſimpl. nat. lib. I.

Maſtiches varietas.

Maſtiche Vera *eſt*, *&* Falſa. Maſtichæ Diſtinctio.

Vera Maſtiche, *intelligenda eſt*, *quæ ex ſola Lentiſco fluit, ut dictum eſt.* Lentiſci enim Reſina, *inquit Cl. Renodæus*, quavis alia, ſi quæ detur, præſtantior eſt. Vera. De mat. med. lib. I. ſect. 9. c. I.

Quæ verò ex quavis alia planta manat, Falſa eſt, impropriéq; *inquit Dalechampius*, & per ſimilitudinem Maſtiche nominatur. Falſa.

Nam Theophraſtus, non tantùm in Lentiſco, ſed etiam in Spina Ixina Maſticam *inveniri tradit, quin & Carduum Pineam lachrymam jucundi ſaporis parte poſtrema refert, quam aliqui* Acanthicen, *alii* Indicam Maſtichen *vocant, Gaza* Spinalem. *Ea ſpina, albus Chamæleo eſt, ad cujus radicem liquor albus reperitur, glutinoſus, quem à Maſtiches ſimilitudine ſic vocarunt.* lib 9. hiſt. plant. c. I. l. 6. ejuſd. hiſt. c. 4.

Alias

Aliâs enim ἰξὸς, *&* ἰξία, *viſcum ſignificat, ac quod indè fit glutinum.* *Scire tamen licet, inquit Dalechampius,* Chamæleonem album etiam ixiam aliquibus dici, (*Ixinen, Amato Luſitano*) quòd ἰξὸς, *id eſt*, viſcum circa radices ejus inveniatur, *ut ait Dioſcorides.*

lib. 1. c. 3. hiſt. plan. t. gen.

Albus iſte Chamaleo, (*quem* Colam *vel* Chamæleous, *vulgò in* CRETA *nuncupari, Bellonius memorat*) *radicem producit humanæ coxæ craſſitudinem æquantem, pedalem, interdum etiam cubitalem longitudinem, adeò odoratam, ut conclave in quo repoſita, violæ odore ita repleat, ut capitis gravedinem inducat. Cretenſes Paſtores & ruſticani pueri, præſertim apud* Rhetimo, *ejus gummi colligunt, quo fœminæ pro Maſticatorio utuntur, uti Maſtiche in Chio, & Chondrillæ gummi in Lemno.*

Obſ. lib. 1. c. 18.

lib. 12. c. 17. *Plinius etiam plura Maſtiches genera recenſet.* Jam ego, *inquit*, tranſeo ad

eo ad

eo ad Maſtichen, quæ & ex humili Spina fit in India, itemq; in Arabia, Lamam vocant. Sed Maſtiche quoque nobis gemina eſt, quoniam & in Aſia, Græciaq; reperitur herba, radice folia emittens, & carduum ſimilem malo, ſeminis plenum, è quo lachryma erumpit, inciſa parte ima, vix ut dignoſci poſsit à vera Maſtiche. Necnon & tertia in Ponto eſt, Bitumini ſimilior.

Caſtor quoq; Durantes Maſtiches Perũanæ *meminit, dum de* Lentiſco del Peru *ita canit:* In Herbario.

Dicitur (inquit) *hæc mollis, quod gummi mollit alvum;*
Planta ſed adſtringit radice & cordice; tandem
Id facit & foliis purgando viſcera cuncta.
Roborat & Gummi hoc: hæmorrhoidumq; dolores
Emulcet ſemen. plagas atq; ulcera mundat
Succus, & hydropicis confert hæc planta ſalubris.

Vera

Vera Maſtiche, ejusq; Electio.

Vera Maſtiche è Chio provenit: Sola enim Inſula Chios, *inquit Bellonius*, inter reliquas Maſtichen generat, tametſi Galenus Ægyptiam commendet: Hoc ſiquidem tempore ſcimus in ſola Chio reperiri.

lib 2. Obſ. c. 8.

lib. 2. ad Glauc.

Omnium ſanè laudatiſſimam & copioſiſſimam è Chio provenire omnes teſtantur, ob cujus præſtantiã vox CHIA *à Medicis Græcis ſimpliciter pro Maſtiche accipitur; ut falli poſſint, quibus in Græcis codicibus ſæpè ſolùm* CHIA *legitur, dubitaturq; an ad proximè antecedens medicamentum hæc vox referatur, ut Cornarius notat.*

Embl. in Dioſc. 72.

Lentiſcus RESINAM ubiq; ſudat, *ajunt Hermolaus Barbarus, & Doctiſs Rivius*; MASTICHE verò dicta in CHIO tantùm Inſula: *Tantum tribuentes* CHIÆ MASTICI, *ut alibi proveniens vix* Maſtiches *nomen mereatur; ſed dicatur ſaltem* Reſina.

Comm. in Dioſc.

In

In Creta *Lentiſcus quidem etiam Reſinam fundit, ſed flavam, amaram, & Chia longe deteriorem.* Dalech. amp.

Deterior quoq; eſt viridis & nigra, Ægyptia *dicta, aut* Pontica, *bitumini nigredine ſimilis, ut Sylvius tradit.* de med. ſimp. nat. lib. 1.

Nam ex Ponto quoq; Maſtiche venit, *inquit Hermolaus*, bitumini ſimilior atq; nigra, vino condendo. *Quam Maſtichen* Cobthi, *ſeu ad nigredinem tendentem appellare videtur Avicennas.* In Corol. ſupra Dioſc. lib. 2. tr. 2. c. 461.

In Italiæ *Senenſibus Maritimis toto Maris Tyrrheni tractu Cajetam usq; & circa Neapolim Lentiſcos Maſtichen producere, ſed non ea abundantia, qua in Chio & Creta Ægei Inſulis, Melichius teſtatur.* Comm. in El. Arom.

Etſi enim Maſtix, *inquit Amatus Luſitanus*, in Hiſpania & Italia proveniat, adeò tamen rara & parva quantitate reperitur, ut de ea colligenda homines curam non habeant. Enarr. 18. in Dioſc.

Italicæ *tamen* Maſticis *Avicennas* memi-

meminit, quam Romanam Maſticen *appellat, & forſan ex eo Manlius,* Gluten Romanum, *alii* Collam Romanam.

Pharm. c. 6. *Auguſtani in Prolegomenis, de ſimplicibus abſolutè ſcriptis, quæ Antonomaſia quadam cæteris præſtant, quid cujusq; loco ſumendum,* Maſtiche *ajunt,* ſumatur Chia aut Ægyptia: *ſed malè. Nam Ægyptiam, utpotè nigram, deteriorem eſſe, ex Sylvio jam auditum eſt.*

Probatio Maſtiches, & Improbatio.

Marcell. Vergil. & Dalechamp. Colonienſ. *Inter Maſtichas probatiſſima eſt, & bonitate antecedit, quæ, nitedulæ modo reſplendens, pellucet, & Tyrrhenicæ aut Hetruricæ Ceræ candore ſimilis eſt, craſſa, friabilis & odorata.*

Eligito ſinceram, *inquit Cordus,* puram, dum manibus tractatur aut maſticatur lenteſcentem, atq; inter dentes

dentes transparentem, qualitatem à-mittentem, & loco ejus niveum candorem induentem, odore ſuavem, ac proinde oris halitum commendandantem, guſtu aliquantulum adſtringentem; colore foris propter inhærentem pulverem, attritione eliſum, candidam aut flaveſcentem, eo autem abſterſo, vitream, aut propemodum cryſtallinam atq; omninò tranſlucentem: *Et ut Sylvius loquitur*; fulgore quodam ignis ſplendidam.

Præterea, adultam, retorridam, friando ſtridentem, *Ruellius requirit cum Sylvio*: *Manlius*, magnam; *Colonienſes*, Pinguem.

Rectè igitur, cum Dalechampio, flavam & amaram, *qualis Cretica maſtix eſt*; *cum Dioſcoride & Colonienſibus* viridem; *ac cum Sylvio* nigram, *qualis Ægyptia aut Pontica eſt, improbamus, ut & cum Seniore Plateario illam*, quæ terræ habet admixtionem, obſcuraq; eſt.

Pro Aurea Alexand. *Malè autem*, *&* barbarè, *Nicolaus Præpoſitus* Maſtix citrinum aut ſubrufum *&* *dicit*, *&* *eligit*: *Et peſſimè junior Platearius* ſubalbidam ſive fæculentam Maſticen deligit.

Quæſtio.

Quid Maſtiche καπυρὰ, Dioſcoridi?

Porrò, quod Dioſcorides καπυρὰν *Maſtichen probat*, *Cornarius valdè* ari-dam *intelligit*, *id eſt*, καταπυρὰν: *Qua voce etiam paulò poſt in Reſinæ probatione utitur*, *quæ eſſe* καπυρὰ *non debet*: *qua etiam uſus eſt Galenus*, *lib. 6. de tuend. ſanit*: *Quo loco Codex Baſil. habet* καπυκρὸν. *Fuchſius emendare volens*, *reponit* καπυκτὸν, *&* *vertit*, ſiccum, *ſicut & antiquus interpres*: *& rectè ille quidem*, *ſi* καπυρὸν *repoſuiſſet*, Circa finem. *ut notat Doctiſſ. Dalechampius*. hiſt. gen. plant. l. 1. c. 18.

In Græcis quibusdam Codicibus legitur πυρὰ, *quod nonnullis vitioſum videtur*, *creduntq́ aliam vocem legendam eſſe*: *putant enim adverſari ſuperioribus*,

rioribus, ſcil. candidam Maſtichen eſſe debere, nec poſſe aliquid ſimul candidum, quo colore omnes Maſtichen laudavêre, & πυῤῥὸν, id eſt, ruffum coloreq́ ignis eſſe: quam ob cauſam eam expungere audent, non invenientes, quam ſimilem illi aliam ſubſtituant.

At, ſi πυῤῥὸν pro fulgore ignis ſplendidum, *cum Sylvio, intelligerent, minus de antiqua lectione dubitarent, vel juxta vulgatum verſiculum:* Solutio.

Maſtix labe caret, ſi CANDENS *lumine claret.* Eobani Heſsi.

Cultura, Collectio, Æſtimatio.

In Chio ex mitibus tantùm Lentiſci plantis, vulneratis ipſarum truncis, fluit, & in terra circumpavita concreſcit Maſtix: aliter quàm forſan in Græcia, ubi poſt inciſiones terram mundificari, & veſtes ſupponi, vel quædam coopertimenta ex tunicis facta, ne liquor effluat in terram, Platearius memorat: De ſimpl. med.

Ac ita feliciter in Chio naſcitur, ut non mediocre vectigal quotannis ex ea cives habeant, teſte Amato Luſitano.

Enarr. 18. in Dioſc.

Refertq; Bellonius, primarias Inſularum opes & fortunas ibi conſiſtere, in Maſtichis, quam ſola hæc Inſula tam copiosè & largè ſubminiſtrat; collectione, nonq; minore impenſa & diligentia Lentiſcos iſthic excoli, quàm in Gallia vites, nec differre arborem ab ea, quæ in Gallia Narbonenſi, tum in Italia, provenit: majorem tamen in Lentiſci arboribus curandis diligentiam ibidem adhiberi. Quemadmodum enim oleæ & fructiferæ aliæ arbores curam & culturam expetunt; ſic Lentiſci, niſi neceſſaria cura illis adhiberetur, exiguum proventum darent.

Dalechamp.

Quicquid autem Maſtichis in hac Inſula colligitur, Reipublicæ debetur. Qui vindemiæ tempore propriis in agris legunt, id totum absq; dolo in commune conferunt: Abſciſſaq; manu pœnas dat, qui Lentiſcum, Maſtichen fundentem, in pro-

in proprio vel alieno agro exciderit. Tanta eſt Maſtiches cura! Tantus illi honos apud Chios; *nec abs re quidem, cùm illis univerſus ferè orbis tàm excellens & ſalubre medicamentum acceptum ferat.*

Proventus porrò ejus ea in Inſula tantus eſt, ut ſingulis annis Turcico Imperatori pro quaternis vel quinis millibus Ducatorum pendant in deductionem ejus Summæ, quam illi Tributi nomine dare debent: Et ſingulas centenas libras centenis quinis Ducatis æſtimant: Quicquid ejus ſupereſt, ſibi reſervant. Bellon. libro 2. c. 8. Obſerv.

Galli Mercatores Maſtiches precium idem perpetuò eſſe conſiderantes, exiſtimant atq; etiam referunt, incolas, collecta ejus certa quantitate, reliquam abjicere. Quia verò Turcico Imperatori ſingulis annis pro quatuor aut plurium millium Ducatorum æſtimatione pendunt, ejus pretium vel augere vel imminuere non licet.

Olim quoq; hujus precium in Libr. XX. id eſt, Denarii decem, ſi candidiſſima, nigrioris verò. XII. id eſt, Denarii duo, ut Plinius loquitur; & Hermolaus Barbarus.

Præparatio ſeu Rectificatio, Aſſervatio.

lib. 2. tr. 2. c. 461. Rectificatio Maſtiches, *juxta Avicennam*, eſt ipſius reſolutio, & dimiſsio in aceto per aliquot dies, deinde exiccetur.

De mat. med. lib. 1. ſect. 9. c. 1. *Ut verò optimè pulveretur, debet & ſolet parum aquæ miſceri: diſſolviturq; facilè & aqueis & oleaginoſis: ut Cl. Renodæus docet.*

ſupra Antid. Nicol. Diu poteſt ſervari; *inquit Platearius.*

Fraus: Adulteratio.

Com. ſup. Aur. Alex. *Licet Maſtichen non ſophiſticari putet Platearius*; Adulteratur tamen, *inquit Plinius*, ut thura, reſina, *ſed* depra-

depravatè. Meliùs quidem Hermolaus Barbarus ex ſuo Dioſcoride, Thure & Reſina, *cum Ruellio, qui*, Thuris Reſinæq; miſturà. *Sed optimè Marcellus*, admiſtis pinea reſina, aut thure: *vel, ut Sylvius, Colonienſes & Norici*, miſtura Thuris & reſinæ nucis pineæ.

Monſtrante enim reipſa, inquit idem Marcellus, in Fraude & Adulterio Maſtiches, reſinam pineam *adjecimus, ſic in melioribus Græcis legentes, disjunximusq;* Thus, & pineam reſinam, *eadem veterum Codicum fide admoniti, quoniam alterum ſatis eſſet, nec omnis reſina id præſtare poſſit, ſed pinea tantùm, quæ colore candido in concolore Maſtiche faciliùs falleret.*

Succedaneum.

Paulus Ægineta, de Succedaneis ex lib. 7. c. 25. *Galeno agens, pro Maſtiche, junci rotundi corticem ſubrogandum, ſcribit.*

Induratam verò Reſinam Abietinam pro Maſtiche ſubſtituendam, docet Cl. Lobelius. In Append. Adverſ. p. 671.

Quin & in defectu quorundam ſimplicium & ipſam Maſtichen Succedanei dignitatem habere, Plinius tradit, qui Maſticen ad omnia adhiberi poſſe, *ait*, ad quæ Ammoniaci vis. lib. 24. c. 7.

Sic & pro Thure, & Terebinthina, Maſtichen ſuccedere poſſe, ex Succedaneis Rondeletii videre eſt.

Natura, Facultas.

Galenus, *Maſtichen quodammodo ex contrariis compoſitam eſſe qualitatibus, adſtringente ſcil. & emolliente; ſecundoq; ordine excalefacere, deſiccareq; autor eſt: Nigram autem, quæ Ægyptia cognominatur, tum magis deſiccare, tum minus, quàm Chiam, adſtringere: quamobrem aptiorem quodammodo eſſe ad ea, quæ validiorem digeſtionem & halitum expoſcunt.* lib. 7. ſimpl.

Sic

Sic & *Aëtius*, Omnibus reſinis, *inquit*, præfertur Lentiſcina, Maſtiche appellata, propterea quòd parum adſtrictionis poſsideat, inſuperq; citra moleſtiam ſiccet: Eſt enim maximè tenuium partium, minimeq; acris. Nigra verò, quæ Ægyptia appellatur, magis exſiccat, quàm alba & Chia, & minus adſtringit, unde & commodior eſt quodammodo ad ea, quæ fortiore diſcuſsione opus habent. Tetrab. 1. ſerm. 1.

Maſtiche Chia, *ait Paulus*, calefacit & exiccat in prima à mediis diſtantia, ex partibus natura diverſis conſtans, adſtringente pariter & molliente: Ægyptia autem nigrior, minus adſtringit. lib. 7.

Avicennas, Maſtichen calidæ quoq; ac ſiccæ naturæ eſſe, annuit, minores tamen calefactionis & exiccationis, quàm Olibanum. Maſtixq;, *inquit*, ſubtilior eſt, & magis juvans, quàm lib. 2. tr. 2. c. 461.

Olibanum. Cobthi verò, qui trahit ad nigredinem, ſtypticitas eſt minor, & exiccatio major, & eſt magis conveniens in eo, quod neceſſe eſt reſolvi fortiter. Et totum quod in ipſo eſt de ſtipticitate & lenificatione & exiccatione, eſt ſine impedimento, & eſt ſubtile valdè: & liquefacit propter ſuam ſubtiliationem & lenificationem & caliditatem ſubtilem phlegma, & eſt cum hoc minoris acuitatis & ſpiſſitudinis quam reliquæ gummæ.

de med. ſimp. na. lib. 1. *Et Doctiſſ. Sylvii cenſu, Maſtiche parum adſtringit, ſiccat ſine morſu, calida & ſicca ordine ſecundo, minimùm acris, tenuium maximè partium.*

ſup. Antid. Nicol. *Plateario inſuper*, Maſtix calet, & ſicca eſt, in ſecundo gradu, ſubtilem habet ſubſtantiam, viſcoſam & glutinoſam; Confortat ex aromaticitate ſua; facitq; partes partibus viciſſim adhærere.

Vires,

Vires, Virtus, Utilitas.

Ex Dioſcoride. *Maſtiche Chia pota, utilis eſt ſanguinem rejicientibus, & tuſſi veteri: Stomacho auxiliatur, ſed ructum movet. Additur in dentifricia & illitiones faciei, ad nitorem cuti conciliandum: palpebras oculis incommodas replicat; manducata halitum oris commendat, gingivas contrahit.* lib. 1. c. 71.

Ex Galeno, & Paulo Ægin. *Maſtiche Chia Stomachi, Ventris, Inteſtinorum, jecorisq́; inflammationibus competit. Nigra vero, quæ Ægyptia cognominatur, furunculis bonum eſt remedium.* lib 7. ſimp. lib. 7.

Ex Avicenna. *Confert propter illud, quod in Maſtiche eſt de ſtipticitate & lenificatione apoſtematibus viſcerum: Confert & tuſſi, & ſputo ſanguinis: Confortat ſtomachum & hepar, & aperit appetitum, & ſtomachum efficit bonum, & movet eructationem, & liquefacit phlegma ejus, & confert Apoſtematibus ſtomachi & epatis ſtatim.* lib. 2. tr. 2. c. 461.

Roborat

Roborat hepar & inteſtina, & confert apoſtematibus eorum. Et nigrum Cobthi eſt convenientius duritiebus intrinſecis, & confert apoſtematibus formicalibus.

lib.24.c.7. Ex Plinio. *Lentiſci lachryma urinam ciet, & alvum ſiſtit; prodeſt vitiis ſedis, cum quid ſiccari excalfierivè opus ſit. Decoctum quoq; è lachryma ſtomacho utile, ructum & urinam movens, quod & capitis dolori cum polenta illinitur. Item Maſtiche replicandis palpebris, & ad exterendam cutem in facie, & ſmegmata. Adhibetur & ſanguinem rejicientibus, tuſsi veteri, & ad omnia, ad quæ Ammoniaci vis.*

lib. 1. de mat. med. ſect. 9. c. 1. Ex Renodæo. *Maſtiche ad multa commendatur, ſed maximè ad ſtomachi & ventriculi affectus. Nam ſumpta vel admota dolores illius ſedat, nauſeam & cibi faſtidium tollit, retinendi potentiam roborat, & coctionem juvat. Prodeſt & hæmoptoicis in linctu cum Syrupo conveniente, ut & veteri*

tuſsi.

tuſsi. Commanducata oris halitum emendat, & pituitam è cerebro blandè attrahit.

Quomodo intelligendus Dioſcorides, quando dicit: *Maſtichen ſtomacho auxiliari; ſed ructum movere?*

Malè ſic Matthiolus & Ruellius interpretantur: Rectiùs forſan Marcellus Vergilius, qui, Stomacho, *inquit,* accommodata eſt, Et ructum movet.

An igitur illud, Ructum movet, *ſuperfluum eſt, expungendumq́; ? Nam Stomacho utile eſſe, ſed & ructus (puta morboſos) movere, adverſa ſibi videntur. Unde Cl. Dodonæus, vires ejus ex Dioſcoride & Galeno diligenter recenſens, ne verbum de Ructu meminit.*

An de Ructu, ſeu potiùs Eructatione ea, intelligendum eſt, quæ moderata eſt, naturalis, utilis, ex motu Naturæ benè operantis procedens, dum inutile Autoris aſſertio.

utile

utile quicquam expellere nititur, non aliter ac ſi quis crepitum ventris bono ſanitatis omine, emiſerit: ut Maſtiche tunc pro remedio ſit; velut Conſtant. In 4. viat. *Serapio & Avicennas monent, dicentes:* In cap. propr. Si ſtomachus repleatur ventoſitate, nec fiat eructatio, dentur undè eructatio efficitur. *Ita ut Ructum* movere, *nil aliud ſit, quàm* amovere, ſolvere, diſſolvere, propellere, *& pro* carminativo *eſſe. Proindè ſic potiùs legendum ex Dioſcoride:* Stomacho auxiliatur & ructum amovet, *aut*, Stomacho auxiliatur, â ructu moleſtato: *Qua ratione etiam Avicennam & Plinium intelligendum opinamur.*

Officinalia ex Maſtiche, & indè cognomen habentia.

Pilulæ Maſtichinæ, Petri de Abano.

In addit. ſupra Meſ. in cura æ-

℞. Ma-

℞. Maſtiches, drachmas quatuor.
Aloës elect. drachmas decem.
Agarici boni, drachmas tres.
Confice cum ſucco Altiliæ.

grit. ſto-machi, c. 19. circa finem.

Nomen hoc Autor impoſuit, non ab exuperante medicamento, Aloë nempe, ſed à principali & nobiliſſimo ingrediente, quod Maſtix *eſt, forſan ne ſimul ejuſdem nominis Catapotia multa ad diverſa deſcriberentur.*

Hæc autem Deſcriptio ubiq; ferè locorum in uſu habetur, quam fideliter etiam ex Autore tradunt, Baudero, VVeckerus, Codenburgius, Cordus, Romani, Florentini, Auguſtani & Norrbergenſes, ſuis in Diſpenſatoriis.

Apollo, ſtudioſus ſingularitatis homo, ſervata ingredientium proportione, pondera ſingulorum tribus auxit partibus. Fernelius verò & pondere variat, & pulveris Hieræ picræ additione, Autoris teſtamentum immutavit, citra neceſſitatem.

Licet enim nonnulli, ut Caleſtinus

refert,

refert, Pilulas has magis efficaces reddere volentes, prædictis Rhabarbari drachmas duas addant; & loco Aloës Pilulas Aloephanginas ſubſtituant, quo animo etiam Renodæus parum Diamoſchi adjiciendum ſuadet: Perverſa tamen fide veterum Compoſitiones fruſtrà ſic adulterantur depravanturq́; velut alibi fuſiùs aliquando dicturus ſum. Hinc & Rondeletius rectè illos increpat, qui Pilulis hiſce Diagridium addunt, quas ideò rejiciendas monet, cùm multùm à facultate Maſtiches diſtent: Illa verò Conciliatoris Deſcriptio, inquit Venerandus Vir, uſurpanda, quæ magis probatur, & ventriculo magis accommodata eſt, in cujus gratiam inſtitutæ ſunt.

Quæſtio de Altilia. Sed quo Succo hæ Pilulæ conficiendæ, quid quæſo Succus Altiliæ?

Jbertus, tille, *ſeu* Altille, *vinum coctum interpretatur: Baudero,* Altili, *legens, vinum dulce coctum ſcribit: Nam* Altil, *inquit, Arabibus dulce ſo-*

nat.

nat. *Romani cum* Oenomelite; *Florentini cum* Oxymelite; *Renodæus cum* Hydromelite; *Fernelius cum* Vino Malva i o; *Codeburgius, Cordus & Auguſtani cum* Melle roſato; *Norici, cum* Syrupo de Stæchade; *Melichius, cum hoc vel illo*; *Fæſius & Apollo*; *cum* Succo Artemiſiæ, *Maſſam conficiunt.*

Vides, amice Lector, quam varias Neoterici de Altilia habeant opiniones. Verùm Arabs Avicennas, litem facilè dirimit, dum ſcribit; Succum Altiliæ eſſe Albelengeſif, *& Abrotanum ſylveſtre vocari. Atq; hæc Planta, quorundam* Mater herbarum *eſt, ſeu* Artemiſia; *Teſte Cl. Trago.* Lib. 1 de ſtirp. hiſt. cap. 113.

Has & ſimiles innumeras Diſpenſatoriorum omnium fraudes, errores, ignorantias, in Pharmacopœa noſtra univerſali recognoſcerent Reſpublicæ, ſi vel edendi vel publicè docendi nobis daretur occaſio. Cùm enim ne nomen quidem in fraudem alterius mutare liceat;

L. Un. C. de mutat. nom. arg. l. ultim. ff. quòd falſ. tut. L. ſi quis C. de aquæduct. Cuja. in d. l. un.

ut Juriſtæ volunt; quid dicerent pravi iſti interpretes, qui quid pro quo *ſcribentes, Autorum mentes medicas ſic pervertere audent.*

De Agarico quoq; litigant: dum Autor crudum quidem, ſed optimum commendat: Trochiſcatum verò Renodæus: qui tritum & cum Aloë & Maſtiche mixtum ſubigi vult, alia ratione, quàm Auguſtani, qui Agaricum per diem naturalem in Oxymelite ſimplici infuſum, poſtea cum mellis roſati ſufficienti quantitate in maſſam aptant: Quos Rondeletius caſtigare videtur, dum dari has Pilulas in ventriculi nimia laxitate à pituita aquea & tenui: Quare Agaricum non infundi debere; nec in aceto, nec oxymelite, *aſſerit.*

Autoris verba.

Pilulæ igitur hæ, ut uſum quoq; ex Autore adjungamus, ſtomachum conſervant ab omni læſione intrinſeca, & non permittunt putrefieri humores in eo, imò abſtergunt ipſum, & mundificant

cant rugas & parietes ejus, & qui aſſiduat uſum earum ſingulis diebus, illæſus permanebit à dolore ſtomachi, nunquam dolore capitis vexabitur; & nihil eſt oculis, crede mihi, ſalubrius iſtis: & qui triſtantur, ſubveniunt, & melancholicis, & in medicatione matricis vitioſæ & viſcerum interiorum. Doſis duæ Pilulæ vel tres, quando itur dormitum: Poſſunt etiam recipi aliàs majori quantitate. Hæc Petrus ille Abanus, aliàs, Conciliator, dictus.

Magnam habent hæ Pilulæ in opere medico prærogativam, *addit Foëſius*, hisq; omnes pro maſtichinis utuntur in ſtomacho confirmando, & à putribus corruptisq; humoribus vindicando. Ventriculum leniter purgant, eumq; bilioſis & pituitoſis ſuccis affectum liberant, & noxiam in poſterum præcavent: Capiti conferunt, uterum juvant, & miro quodam modo roborant.

Pilulæ de Aloë & Maſtiche Nicolai Salernitani & Myrepſi.

℞. Aloës, unciam unam,
Maſtiches, unciam ſemis,
Caryophyllorum,
Roſarum rubrarum, ana drachmam unam,
Croci,
Diagridii, ana ſcrupulos duos.
Cum ſucco feniculi, fiat Maſſa.

Sic etiam VVeckerus, Norici & Auguſtani.

Sine moleſtia ventriculum purgant, & ex eo bilem & pituitam eliciunt, ac nutritoriis partibus robur præſtant.

Electuarium Diamaſticis, ex Nicolao Præpoſito.

lib.2.

℞. Cumini,
Garyoph.
Spicæ nardi,
Cardamomi,

Carpo-

Carpobalſami,
Xylobalſami,
Zingib.
Piperis albi,
Macropiperis,
Aſari,
Galangæ,
Caſsiæ ligneæ,
Calami aromat.
Nucis moſch.
Cyperi,
Myrtillorum,
Macis, ana unciam unam;
Maſticis uncias quinque.
Mellis, q. ſ.

Mirè ventriculo prodeſt, adverſus craßiores flatus, acidos ructus, pravamq́ concoctionem: actionesq́ ventriculi, jecoris & lienis, à frigiditate impeditas, robuſtiores reddit, easdemq́ emendat.

Gallia Muſcata, ſeu potius, Maſtichina: Nicolai Alexandrini.

℞. Maſtiches, uncias duas.
Gummi Arab. unciam unam.
Camphoræ, ſcrupulum.

Hæc terantur ſubtiliſsimè & cribrentur, & trochiſci inde fiant cum Aqua Roſata, & ſiccentur ad umbram, & poſtquam fuerint deſiccati, terantur iterum ſubtiliſsimè, & miſceantur cum ℥ iiij. Olei Sambuci, bulliti & colati ad medietatem, deinde miſce cum ſpeciebus iſtis, benè tritis:

℞. Cinnami, Caryophyll. Nucis moſch. ana unciam ſemis: Et omnibus iſtis commixtis & benè manibus malaxatis, F. Trochiſci in medio concavi, & ſigillo ſigillati ad pondus ʒ j S. & poſtea ungantur cum Aqua Roſata, cum moſcho.

Ex interpr. Nic. Rhegini 1541. Venet. 1543

Hanc Deſcriptionem fideliter ex ipſo Nicolai Alexandrini codice, & editione Ingolſtadienſi, quæ cum Venetiana quoq; convenit, huc poſuimus, niſi quod

ad

ad Gummi abſolutè ſcriptum, cognomen Arabicum, ipſo Ammonio annuente, Pharmacopæorum gratia, addendum fuerit: Sic etiam ſincerè ac fideliter tradit Nicolaus Præpoſitus in Antidotario parvo: Sic & Foëſius, ſic Romani, ſic Deſſenius, Melichius, ſic & Alii.

Maſticen igitur hîc potiùs, quàm aliud quicquam pro Baſi habendam, Confectionemq; exindè denominandam, quis non videret: Licet Joh. de Sancto Amando, Maſtichen & Gummi Arabicum ibi pro Baſi ſtatuerit, ſed perperàm, cùm ſola Maſtix & pondere & viribus ad ea prævaleat, quibus Galliam hanc Moſchatam (Autore ipſius laudes ſubticente) competere docet; dum contra ſtomachi debilitatem ex materia frigida, ipſam conſumendo, commendat, prohibereq; vomitum, valere contra fluxum ventris, conſtipando humiditatem lubricantem, & deſiccando. Debetq; hæc Compoſitio, monente Cl. Deſſenio, indi Medicamentis Nicolainis, quæ Galliam Vires.

expoſcunt; de cujus tamen artificioſa confectione nil certi conſtare videtur.

p. 329. Verba Melichii. Ariolum enim neceſſe eſt eum, inquit Melichius, qui conficere volet hos Trochiſcos ex Autoris verbis. Putarunt aliqui, neceſſarias eſſe, ℥ iiij Olei, excipiendis pulveribus, & concinnandis Trochiſcis, quos Autor in ſolatu ſiccari jubet, ut hoc pacto melius permiſceantur, & conſiſtentiam bonam adipiſcantur, cùm efficacia radiorum ſolarium pulveres oleum omne facilè combibant. Hæc opinio apud me nullius eſt momenti, neq; Autori in mentem venit, ut pulveres cum oleo coqui præciperet, quod fieri voluit Nicolaus Myrepſus, & ſecuti ipſum nonnulli recentiores, artis parandorum pharmacorum imperiti, cum Pharmacopæi munia nunquam attigerint. Alii judicarunt legi debere, non ℥ iiij, ſed ʒ iiij olei, productis codicibus quibusdam vetuſtis. Sunt & qui ex antiquiſſimis codicibus ℈ iiij olei legunt. Plura ego Exemplaria, quæ habere

habere potui, vetuſtiſsima conſului, & in omnibus Characteres hoſce iiij ℥, hoc eſt, quatuor uncias reperi. Neminem autem ex hujus ſeculi Pharmacopæis novi, qui non diceret, quantitatem hanc olei nimiam eſſe, rationibus non contemnendis prolatis. Sed omiſſa opinionum aliarũ commemoratione eam ſubjiciam, de qua non ſemel cum Pharmacopæis quibusdam primariis ſermonem habui. Cùm eſſem aliquando cum Franciſco de Corregio, Hieronymo de Calice Patavino, & Martino Angelo Præceptore meo, atq; de hac Compoſitione multa inter nos diſputarentur, & quilibet ſententiam ſuam dixiſſet, conſtitutum tandem inter nos fuit, Aromata cum oleo (modò Artis præcepta obſervarentur) coquenda non eſſe, quantumvis oleum antea ad medietatis caſum bullierit. Neq; plus olei, quàm unam unciæ partem eſſe accipiendam, cùm pondus hoc pacto notatum inveniretur iiij ℥. Nuſquam enim alibi memineramus,

Nicolaum præponere ponderis numerum Characteri, quàm hoc in loco, ubi brevitate iſta, quartam unciæ partem ſignificare voluerit. Hæc ſententia placuit, & accepta fuit peritiſsimis hiſce Seplaſiariis, duas ſcil. drachmas (quæ ſint quarta unius unciæ pars) olei puri & cocti ad medietatem accipi debere, quo trochiſci jam antè cum Aqua roſarum facti, ac rurſus in pulverem deducti excipiantur, & in maſſam, manibus tractando, cogantur, ex qua dein Paſtilli aqua roſarum imbuti concinnentur. Et certè qui Autoris ordinem & præſcriptum in conficiendis hiſce trochiſcis obſervare voluerit, huic alia, quàm dicta, ratione optatum conſequi finem impoſsibile erit, ut docet experientia. Aqua roſarum bonam habeat Moſchi partem, ut verè Moſchata dici queat Galliæ. Etſi autem non expreſsè addit Autor, ut ſecunda trochiſcorum conformatio ex aqua roſarum fiat, nihil tamen compoſitioni demit, cùm ratio atq; artis

leges

leges id fieri oportere, dictitent. Sufficiat etiam mentionem aquæ in priori trochiſcorum formatione factam eſſe, & alteram judicio & experientia Seplaſiarii in arte hac plurimum tempus verſati, ab Autore committi. Norunt enim quotquot artis noſtræ operas tractarunt, oleo non excipi ſolere pulveres, & trochiſcos fingi, cùm oleum natura ſua cogendis & continendis ijs ineptum ſit. Quod ſi quibus opinio noſtra non ſatisfaciat, his integrum erit olei ℥ iiij pulveres incoquere, atq; experimento diſcere, uter conficiendi modus præſtet, & trochiſcos præſtantiores reddat, quorum deinceps ad precioſiſſimarum medicinarum compoſitionem uſus eſt. Hæc Melichius: Qui tamen errorem alium non agnovit, pro Oleo Sambucino, *vulgare Sambuci Oleum, forſan à Meſue, ut roſatum, deſcriptum, leniens, extergensq́; intelligens: Cùm Nicolaus minime* Sambuci *illud oleum, ſed* Sambucinum *intellexerit, quod, teſte Foe-*

ſio,

ſio, fit ex floribus Sambaci, *quem* Gelſeminum *aut* Jeſeminum *&* Jaſminum *vocant, valdè odoratum, eo modo quo Violaceum, Myropolarum potiùs, quàm Pharmacopæorum induſtria. Hinc & Agricola Ammonius* Oleo Sambuci, *vel* Sambacini *ſcripto reliquit: Et Luminare Majus*, Oleum Jaſminum, *mendosè* Sambucinum *ſcribi putat, exq́; florum* Sambrach ℥ ij, *in Olei Oliv.* ℔ j. *poſitis, ac per 5. dies inſolatis, dein lento igne ferventibus, poſtea colatis, fieri, & in ampulla aſſervari docet. Et Manlius in comm.* Sambach *vel* Zambach, *idem eſt, ſed apud Serapionem vocatur* Jeſeminum. Zambacam *quidem Sylvaticus &* Sambucum *eſſe tradit: Sed Arabes præterea conſuevère* Levcojon Jeſemin *&* Sambacam *appellare, ait Ammonius ſupra cap. 448. Nicol. Alex.*

ἔλαιον μαστίχινον.

Oleum Maſtichinum Meſuæ.

℞. Olei

℞. Olei roſati Omphacini, lib. unam.
Maſtiches, uncias tres.
Vini Odoriferi, uncias quatuor.
Coq. ſ. a. in vaſe duplici, ad vini conſ.

Hoc Oleum in Officinis hodie communiſſimum habetur; quod fideliter etiam deſcribunt Norici, Auguſtani, Florentini; Deſſenius, Cordus & Renodæus.

Minorem tamen quantitatem vini hic poni putat Deſſenius, quàm par ſit pro Compoſitione, ut qui ita legunt, mendosè legere ipſi videantur, quin potius, ℥ viij. Meſuen requirere autumet; cui etiam Romani, Foëſius, Apollo, Melichius ac Leiplingius conſentiunt; contra Doctiſſ. Rondeletium, cui parum vini, pro levi coctura hic ſufficit.

Pro vino etiam odorifero (quod rubrum eligit Renodæus) Aquam vitæ introducere audet Baudero; & aquam roſarum novator Fernelius.

Oleum

Oleum roſatum ſimpliciter dictum Melichius & Renodæus; Completum Baudero & Norici, Omphacino Meſuæi ſupponere ſtudent; & oleum dulce Rondeletius: qui præterea quatuor Maſtiches uncias, pro tribus imponit: adeò depravatè in plerisq; Diſpenſatoriis Autorum noſtrorum optimis inventis & formulis frui cogimur!

Marcellus conciſam; Ruellius tritam; Foëſius pertritam; Renodæus craſſiuſculè contuſam; Noſtri Seplaſiarij pulveratam, cum oleo & vino in diplomate tamdiu coquunt, & inter coquendum ſpatula movent, donec vinum penitùs fuerit abſumptum, quo abſumpto percolant oleum & uſui reponunt: Foëſius tamen rectiùs, conſumpto propemodum vino, continenter tamdiu coquit, donec Maſtiche liquata fuerit; permiſtaq;:

Vires. *Cæterum, oleum hoc, ſimilis eſt cum* Enarr. 81. in Dioſc. *Maſtiche facultatis, ut Amatus teſta-* In Diſpenſ. *tur. Mediocriter enim, inquiunt Au-*

guſtani,

guſtani, calefacit, adſtringit & emollit. Ventriculi coctricem ac retentricem vim firmat. Illitum in Lienteria & intemperie frigida ſicca ſalubre exiſtit. Ad cœliacorum, ſtomachicorum ac dyſentericorum cruciatus utile, tumores duros lenit; cerebrum, nervos & juncturas roborat, phlegmonis gingivarum, linguæ & totius oris medetur, faciem emaculat, & coloris gratiam illitum commendat.

Emplaſtrum de Maſtiche Renodæi.

Antid. lib. 6. c. 15.

℞. Maſticis, uncias tres,
Boli armen. in vino nigro lot. unciam unam & ſemis,
Roſarum, drachm, ſex,
Scobis eboris.
Corall. rub. ana unciam ſemis,
Terebinthinæ, uncias duas,
Ceræ flavæ, lib. ſemis,
Olei Myrtillorũ, unc. tres, aut, q. ſ.
F. Emplaſtrum.

Sto-

Stomachicum quoq; eſt hoc Emplaſtrum, ſed non valdè calidum: Nam cum ſtomachi omnis imbecillitas à frigida cauſa non ſemper proficiſcatur, ut neq; ſubverſio, quæ ſæpius ab intemperie calida ortum ducit, aut ſupinitas; quæ juxta intemperiem quamcunq; etiam citra vitiatos humores contingit: Non eſt æquum illi roborando medicamentum perpetuò calidiſſimum adhibere, ſed pro cauſæ affectionem committentis varietate idipſum variare & immutare ratio ſuadet. Impoßibile enim eſt, Pharmacum invenire ad multas affectiones optimum, & quod uni efficaciter, alteri imbecille prodeſt: Sæpeq; accidit, ut Emplaſtrum calidum ſtomacho adhibitum, fervido hepati plurimùm officiat: Hinc proverbium, ſtomachicum juvit, & occidit hepaticum.

Ex Gal. c. 3. l. 8. comp. med. loc.

Calidiori igitur & imbecillo ventriculo tutiſſimè hoc imperabitur Emplaſtrum: Ad cujus præparationem

omnia

omnia pulveranda ſeparatim erunt terenda. Deinde Cera in oleo liquanda, liquatæ & igni ſubtractæ Terebinthina unienda; tum bolus, roſæ, ebur & corallium tenuiſſimè levigata permiſcenda, tandem Maſtiche accuratè ſubigenda in Emplaſtri craſſitiem legitimam.

Commendatur illiùs virtus ad robur ventriculo conciliandum, fervorem illius contemperandum, ſupinitatem ac ſubverſionem cohibendam, vomitum compeſcendum, & imbecillitatem firmandam. Vires.

Officinalia, aliàs Maſtichen recipientia.

Tantæ dignitatis Maſtiche eſt, ut non tantùm pro Baſi & denominatione quibusdam Medicamentis inſerviat, ut jam relatum eſt; ſed etiam vix aliud quodvis Compoſitum in Officinis proſtet, quod ejus mixtura & ingreſſu carere voluerint Anteceſſores noſtri. Exemplo ſint:

Syrupi
- De Eupatorio Meſuæ.
- Domeſticus Auguſtanorum.
- Miva Cydoniorum aromat. Nicolai.

Electuaria
- Hiera picra Gal. ſimplex dicta.
- Hiera picra Rhaſis; cum Agarico.
- Tryphera Perſica Meſ.
- Hiera compoſita Nicol.
- Indum majus.

Confectiones ſolidæ
- Aniſum laxativum.
- Diaturbith cum Rhab. Montag.

Pilulæ
- Aggregativæ majores Meſ. minores.
- Alephanginæ.
- De Aloë lota.
- Arabicæ Nicol.
- Arthriticæ, ejusd.
- Aſſajaret, Avic.
- Aureæ, Nic.
- De Eupatorio maj. Meſ.
- Imperiales.
- Lucis, majores.
- De 5.gener, Myrobalanorum,

De octo

De octo rebus, Nic. Præpoſ.
De Rhabarbaro Meſ.
Sine quibus, Nic.
Stomachicæ Alkindi.
De Turbith aureæ, Meſ.

Pulvis
- Solutivus Stokſtaldi.
- Pro Ulceribus gutturis, Auguſtan.

Species aromaticæ
- Dianiſu, Meſ.
- Elect. Ducis, Nic.
- Dialacca major, Meſ.
- Lætificans Rhaſis.
- Lithontribon, Nic.
- Diamargariton calidũ, Avic.
- Pleres Archonticon, Nic. Præpoſ.
- Diapraſiu, Nic.
- Diarrhodon Abbatis, Nic.
- Diaxyloaloes.

Trochiſci
- De Abſynthio, Meſ.
- De Aniſo, Meſ.
- De Berberis, Meſ.
- De Charabe, Meſ.
- De Corallio, Nic.
- Hedychroi Androm. ex Gal.

De Roſis, Rhaſis.
De Xyloaloe, Meſ.

Antidoti,
- Antidotus Matthioli,
- Aurea Alexandrina, Nic.
- Elect Guidon contra Peſtem
- Micleta Nic. Myr.
- Triphera Saracenica, Meſ.

Olea
- Moſchellinum, Nic. Alex.
- Stomachale, Cratonis.
- Balſami, Petri de Abano.

Unguenta
- Aregon, Nic.
- Aureum, Meſ.
- Comitiſſæ, Varign.
- Fuſcum, Nic.
- Martiaton.
- Viride Reginæ, Auguſt.

Emplaſtra
- Apoſtolicon, Nic. Alex.
- De Baccis Lauri.
- E Lapide Calaminari.
- Ceroneum, Nic.
- De cruſta panis, Montag.
- Griſeum.
- Sciaticum, Norib.
- Nervinum, Vigonis.
- Nigrum.

Oxycro-

Oxycroceum.
Diaphœnicon calidum & frig.
Ad Tophos, Aug.

Cerata { Ex Betonica.
Capitale.
Gratia Dei, Nic.
Oeſypi, Meſuæ.
Philagrij.
Ex pelle Arietina, Arnoldi.
Stomachale Galeni, ex Meſ.

Hæc inquam omnia, & plura alia, Maſtiches conjugio gaudent, delectanturq́; ut nec Regina medicamentorum, Theriaca, *ejus copula carere voluerit, dum Hedychroi Trochiſcos eam ingredi, ſuprà relatum ſit.*

Maſtiches mira Dignitas, & Commendatio in Correctione omnium ferè Purgantium.

Magnum, *Purgationem*, Remedium, *Magnus vocat Hippocrates. Et*

revera maxima *cauſa morbificæ ablatio, Purgationis uſura abſolvitur. Purgantium verò rerum natura, cùm inter Venena & Medicamenta ambigere dicatur, ne noxam corpori afflent,* Correctione *debita indigent, quæ eorundem requiſita Præparatione perficitur. Inter ea autem quibus Purgantia pleraq; & præparantur & emendantur, ceu univerſale unicumq; Condimentum ac Aroma Maſtiche eſt, quo effera Purgantium omnium vis ac virulentia curatur, manſuefitq; cunctum id, quod in ipſis effræne exiſtit; ut ſine Maſtiche præſcripta Purgatio, inſulſi cibi, incondītiq; ferculi repræſentet imaginem: ſitq; omnis Purgantium propinatio ſuſpecta, & humanæ naturæ invida, cui Maſtiches benignitas & clementia non acceſſerit. Sanè quicunq; Maſticæ hanc laudem detraheret, invidentia laboraret, indigeretq; pro Maſtice, maſtige.*

Maſtiche omnium purgantium condimentum eſt.

Loquatur, hac in parte, pro me vel unus Meſues, qui fuſiùs Maſtichæ patroci-

trocinatur, libris de Purgantium Medicamentorum natura; Cujus de ea elegantiſsimas aſſertiones ac teſtimonia, pro publico Maſtiches honore, in medium hîc afferre, quid ni & neceſſe & dignum ducerem?

Lib. 1. Theor. 2. Can. 2. Stomachicum verò, inquit, miſcendum quoq; medicamentis, diſſolvendo Purgantibus, ut ſtomachum & hepar, facultatis naturalis fontem muniat & tueatur, cujusmodi Maſtiche eſt.

Meſuæ aſſertiones de Maſtiche.

Theor. 3. Si medicamentum benignum eſt, tamen non vacuarit, ſed anguſtiam, ventris tormina, æſtuationem corporis, capitis dolorem, vertiginem, ſcotωma ſeu oculorum obtenebrationem, pendiculationes, oſcitationes excitet, citò expellatur, ſumptis primum adſtringentibus ipſum deturbaturis, ut Cydoniis, MASTICHE, & ſimilibus: deinde balanis & clyſteriis ad inferiora trahentibus.

Pro benigni medicamenti irritamento.

Hujus Theorematis Canone 1. Si

Pro Hypercatharſi. immodica evacuatio ſeu hypercatharſis fiat ob medicamenti actionem immodicam, frangenda virtus ejus eſt, ipſumq; citò à corpore expellendum, vel per lavantia, ut Aquam calidam, Aquam Hordei; vel tergentia, ut Saccharum rubrum, vel comprimentia, ut MASTICHEN.

Canon. 2. Inteſtinorum verò ac venarum, & in ipſis orificiorum atq; etiam corporis pororum vim retentricem firmamus, ſumptis modo quo poteris optimo, vel etiam clyſtere ſi opus eſt, injectis rebus odoratis ac conſtringentibus, cogentibus, contrahentibus: quæ propè omnia MASTICHE præſtabit, cogendo enim & contrahendo roborat. Si igitur Maſtiches drachmæ duæ aut tres cum ſucco Cydoniorum bibantur, medicamentum reliquum expellent comprimendo, ac tandem alvum adſtringent, ut Hamech viſum eſt. Adhæc ſtomachum & ventrem reliquum oleo róſato quàm pati poteſt calidiſſimo illeviſſe,

viſſe, pulveremq́ue Maſtiches *& gallæ aut roſarum ſuperaſperſiſſe, in id eſt mirificum: & paulò poſt. Porrò inter Conſtipantia, in unum cogentia, roborantia, ſiſtentia,* primas tenet Maſtiche.

Idem Meſues, de Purg. l.2.c.1. de Aloë: Maſtix, correctivum eſt, Aloës. *Venas aperire definit Aloë,* Maſtiche *permiſta. Nam tripliciter Aloës operatio caſtiganda eſt, vel cum tardiùs purget, vel nimis imbecillè: vel adeò ora venarum patefacit, ut indè ſanguis emanet. Tarditatem celeramus, ſi cum aromatibus tenuioribus, ut cinamomo, ſpica, ſchœnantho, aſaro,* Maſtiche, *cariophyllis, portione pari miſcemus, item croco, portione dimidia. Imbecillitas recompenſatur, ſi largiori doſi ſumatur.*

Cap. 6. de Caſſia. Si viſcera ſint debilia & lubrica, minuenda Caſſiæ lubricitas myrobalanis, vel Rheo, vel Aqua cum Maſtiche *cocta, vel Spica addita.* Caſsiæ.

Cap. 7. de Tamarindis. Ne ventriculum frigidum lædant, cavetur miſtis hunc roborantibus, ut Maſtiche. Tamarindorum.

Scammonii. *Præterea Cap. de Scammonio: Scammonii, inquit, acrimoniam ſuperficiariam tollunt, tenuitatem & penetrandi facultatem noxiam reprimunt* Maſtiche, *cydonium*.

Turpethi. *Cap. de Turbith. Ne ſtomachum exagitet, medicamenta ſtomachica miſceantur, & odorata agitationem ejus placatura, ut* Maſtiche, *Zingiber.*

Colocynthidos. *Cap. de Colocynth. Ego, inquit Meſues, minutiſſimè forcipibus incido, glutino & mucagine Tragacanthi aut bdellii perlino, ſicco, tenuiſſimè tero: cum Ladano vel mulſa, vel* Maſtiche, *oleo roſato diſſoluta, in Paſtillos cogo, citra moleſtiam purgatorios.*

Hermodactylorum. *Cap. de Hermodact.* Maſtiche *miſta prohibet Hermodactylum, ne ſuo humore excrementoſo & flatulento lædat ventriculum, néve flatus craſſos & nauſeabundos in eo excitet, aut multa in ipſo excrementa colligat.*

Iridis. *Cap. de Iride. Ne ventriculum lædat Iris, ſumatur ex mulſa & pauca*

ſpica,

ſpica, vel cum ſero lactis, melle, Maſtiche.

Cap. de Centaurio. Maſtiche *addita Centaurio, venas ab eo aperiri prohibet.* Centaurii.

Cap. de Cnico. Ne ventriculum lædat Cnicus, ei miſce ſtomachica, ut Maſtichen. Cnici.

Cap. de Sagapeno. Sagapenum poteſt nutriri aqua macerationis Myrobalanorum citreorum, vel ſucci Enulæ non purgati unciis ſeptendecim, cum Maſtiches *& Spicæ Nardi ana drachmis tribus, coctis ad dimidii conſumptionem, & colatis.* Sagapeni.

Cap. de Euphorbio. Humain *Euphorbium propinat cum mulſa & aromatibus quibusdam, &* Maſtice, *Spica, communibus aliorum medicamentorum valentium Epiceraſticis.* Euphorbii.

Cap. de Eſula. Quidam ex lacte Eſulæ & ejus farina oblatas purgatorias conficiunt: Alii ex lacte, aceto, ſaccharo, alii carne cydoniorum & Maſtiche. Eſulæ.

Cap.

Dracunculi.

Cap. de Dracunculo. Dracunculus nocet acrimonia ſua ventriculo & hepati imbecillis, morſuq; ſuo ex vicinis partibus in ventriculum fluxionem allicit: priorem noxam periti prohibent miſcendo ſapam & aromata; ſecundam additis ſtomachicis adſtringentibus, ut Maſtiche, *Cydoniis. Idem quoq; de Bryonia ſentiendum, & Cyclamine.*

Bryoniæ.

Geniſtæ.

Cap. de Geniſta. Nocet Geniſta ſtomacho & cordi, ob id cum melle roſato ſumi vult Philagrius, ut his partibus nocere deſinat, & eadem ratione cum roſis & Maſtiche. *Hæc Meſues.*

De med. ſimpl. lib. 1.

Præterea & Sylvio teſte, Maſtiche apta ſtomacho eſt, odoris grati, & vim medicamentoſam Aloës & aliorum purgantium efficaciter frangit.

De comp. med. ſec. loc. lib. 8.

Et Galenus, in Hiera Picra, Maſtichen *eſſe, quæ ſtomacho commodat, & medicamentariam Aloës vim frangere poteſt, annuit.*

Magiſtralia ex Maſtice.

Aqua

Aqua Maſticis, incerti Autoris.

℞. Maſticis, ℥ viij.
Macis, ℥ iiij.
Gariophyll. ℥ ij.

Pulveratis affunde vini Malvatici ℔ ij. S. ſtent per noctem, dein deſtilla per Alembicum in arena, ſ. a. donec aquoſus humor exierit. Doſis ſemicochleare, pro confortando ventriculo.

Alia Aqua Maſtichina, Conradi Kunratij: è Medulla Deſtillatoria. p. 53.

℞. Maſticis.
Myrobalanorum chebul.
Charyophyllorum.
Rhabarbari, ana, ℥ j.

Affunde vini Malvatici menſ. j. macerentur optimè, & deſtill. in B. M. Doſis Cochl. ij. vel iij. Frigido ventriculo maximoperè conducit, præ-

præſertim à defluxionibus è capite moleſtato; ſiccat & confortat ſtomachum, heparq́; & lienem aperit.

Coleri.

Præparatio Maſticis, pro Dolore Stomachi.

℞. Maſticis, ℥ iij.
Galangæ, ʒ ij.
Spirit. Vini, ℔ S.
Deſtilla. Doſis, ℈ ij.

Cap. 735.

Oleum Maſtichinum, Nicolai Alexandrini, Medici Græci vetuſtiſſimi.

℞. Olei, ſextar. 2. Vini odorat. 1.
Nardini olei 6. Celticæ, Carnium Dactyl. Maſtich. ana ℥ ij.
Abſy. Melil. ana ℥ j.

Dactyli, & Species ſeorſim contuſæ, in vino & oleo tribus diebus infundantur, quarto deinceps die, lento igne tam diu coquantur, donec

vinum

vinum conſumatur, poſtea ſuccus eliciatur: ultimò verò Nardinum oleum decoctioni addatur, & abſolutum habebitur.

Accommodatum eſt ad omnem dolorem ſtomachi & ſcapularum, propè ignem inunctum, ad dolorem hepatis, & pleuræ, cum lanis ſuccidis tepidum appoſitum, optatam afferens ſalutem.

Nicolaus Præpoſitus ſimiliter hoc oleum deſcribit: ſed pondera expreſſius ſic profert:

℞. Olei, ℔ ij.
Vini odoriferi, ℔ j.
Olei Nardini, ℥ vj.
Celticæ, carn. Dactyl. Maſticis, ana ℥ ij.
Abſy. Melilot. ana ℥ j. M. f. a.

Aliud, Aëtii.

Tetrab. 1. ſerm. 1.

Maſtiches ℥ j, in olei valdè acerbi ſextarium unum immittitur, co-

quiturq́

quiturq; duplici vaſe. Calidum eſt moderatè & denſandi ac obſtruendi meatus vi præditum, ſiquidem partibus moderatè firmari adſtringiq; ac calefieri indigentibus adhibeatur.

Lib. 5 ſum. 1. tr. 10.

Aliud, Avicennæ.

℞. Olei Siſamini, Kiſt. ij.
Maſticis, ℥ vj.

Teratur Maſtix & projiciatur ſuper oleum in vaſe duplici. Convenit ad debilitatem ſtomachi & apoſtemata ejus, & lenit duritiem.

Lib. 5. Deſtill. c. 2.

Ut Deſtillando, è Maſtiche, Oleum extrahatur, conſule Joh. Baptiſtam Portam.

Artificialia ex Maſtiche.

Lib. 6. Secret.

Modus conficiendæ Caphuræ factitiæ, Alexii Pedemont.

℞. Maſti-

℞. Maſticis, Olibani albi, ana ℥ j.
Vernicis albiſs. ℥ iiij.
Caphuræ, ʒ ij.

His in tenuem pulverem redactis addantur ovorum albumina, cum Aqua vitæ puſillo contuſa, num. iiij. miſceantur benè, fiantq́ꝫ maſſulæ ſive panes ad Solem ferventiſsimum, per dies quindecim vel XX, ſiccandi: Ac non minùs perfecta erit Camphora, eâ, quæ Conſtantinopoli arte conficitur.

Certò ſcio, *inquit Matthiolus*, Maſtiche alba, Ardenti Aqua, Zedoariaq́ꝫ, ab Impoſtoribus adulterari Camphoram. *Quod etiam confirmat Amatus Luſitanus, comm. in Dioſcoridem. Prætereà, quomodo & quam-nam ementiantur Caphuram hodie Mangones Veneti, in ſuccis medicatis docent.* Enarr. 88. Lobelio teſte.

Camphora quidem, quæ ex Burneo adfertur, plerumq́ꝫ admiſta habet minutiſsima lapidum fragmenta, aut gummi quoddam, Chamderros, *illis vocatum, Succino crudo ſimile, aut ligni cu-*

jusdam ſcobem, ſed facilè maleficium deprehenditur, nullamq́ præter hanc adulterandi rationem novit Garzias ab horto: Cui prætereà quidam affirmâre, panes illos orbiculares, qui ex China advehuntur, compoſitos eſſe. At mihi, inquit, compoſitum medicamentum non videtur, tametſi Manardus contrà ſentire videatur. Sin verò ſit, ex duobus Caphuræ generibus conflari neceſſe eſt. Nam Banzanes de Cambaya pro arcano dicunt, deficiente Caphura de Burneo, ſolere ſe ejus exiguam quantitatem cum multa Chinenſi commiſcere, eamq́ falsò de Burneo nuncupare.

In Hiſt aro. lib. 1. c. 9.
In Comp. Meſ. diſt. 8.

Alex. Pedem. l. c.

Aqua, vel Tinctura, Adamantibus tam veris, quàm adulterinis, ſive ex Sapphiro factis, ſubjicienda.

℞. Fumum ex candela, ſub pelvi, contectum, & cum OLEO MASTIGHINO, F. Mixtura, quæ in annuli pala Adamanti ſubjiciatur.

Excel-

Excellens Vernix.

℞. Maſticis pulv. ℔ j.
Olei Lini, vel Nucum, ℔ ij.

Oleo ferventi Maſtix paulatim inſpergatur, poſtea ebulliant tribus aut quatuor fervoribus. Præfertur autem hoc loco Oleum Lini vel nucum Olivarum oleo, quod lentiùs ægriusq; ſiccefcere animadvertitur.

Cera Rubra & Dura.

℞. Maſticis,
Colophoniæ, ana ℥ j.
Ceræ albæ, ℥ ix.
Cinnabrii præp. q. ſ. M. f. a.

Hæc Miſtura, repræſentandis Sigillis, Numiſmatibus, effigiebusq; inſervit.

Alia, quam Hiſpanicam vocant.

℞. Maſticis, cum pauca Tereb. diſſol. ℥ iiij.
Carabæ, ℥ j S.

Terebinthinæ lotæ & coctæ, ℥ j.
Cinnabrii præp. q. ſ. F. ſ. a. Magdaleon.

Vel:

℞. Maſtic. ℥ S.
Sandaracæ, ʒ iij.
Thuris, ʒ ij.
G. Laccæ, ʒj. s.
Cinnab. præp. & cum Tereb. diſs. q. ſ.
F. ſ. a. Maſſa.

Autoris Inventum.

Liquamen, Oleum, Spiſſamentum excellens, ſeu Nobilis Maſtiches Balſamus; extemporaneæ præparationis, uſusq; celeberrimi.

Primus ego quantuluscunq; (rumpantur ilia Codro) Magiſtralem rectè diſſolvendæ Maſtiches modum, inter chariora mea hactenus repoſitum, nunc publicè introduco. Docuiſſent priùs vel tot Chymici, Seplaſiariive, ſi non ignoraſſent. Nam altum hactenùs apud omnes ſilentium. Nunc ubi rem arcanam

nam ſingularemq́; protulero, & commu-nem & facilem conclamabunt omnes, cùm dici nil poſſe illi putent, quod di-ctum non fuerit anteà, falſo ſanè & ina-ni dicterio.

℞. Mediocrem phiolam, aut ſimile cujuscunq; capacitatis vitrum: injice Maſtiches granatæ & ele-ctæ ℥ S. Affunde olei olivarum recentiſsimi ℥ ij S. Impone ſic vaſculum immediatè carboni-bus ignitis in foculo menſali comprehenſis, donec oleum ad fervorem tendens, Maſtichen liqueſcentem in ſe recipiat, fiatq́; incorporatio, ſimilis Balſamo.

Diſcant igitur, dediſcantq́; , ut ve-lint. Pernobilis ſanè hic Balſamus, Ole-umq́; Maſticis Extemporaneum, ante-hac in libello de cur. puer. affect. pro-miſſum, ob egregium ejus uſum, quo pag. 65. *ægris infantibus, dyſenteria, vomitio-nibus, intumeſcentia & torminibus ventris ægrè decumbentibus, præſens tuli auxilium, multoq́; feliciùs, quàm*

 exole-

exoleti illius Maſtichini olei, in officinis parati lurido unguine, haud ampliùs occultandum videbatur.

Maſtix potabilis.

Habet enim nunc omnis ætas, pro variorum morborum fuga Maſticen verè potabilem, liquamenq́; aureum, quo vulnera ac varias læſiones internè paſſa indubitatam ſanationem exindè ſibi polliceri poterit. Omne Apoſtematis internum genus exindè emollitur, ſolvitur, ſanaturq́;, ſi unciæ pondo, juſculo aut cereviſiæ junctum hauriatur quotidie; obmuteſcitq́; quodlibet ventriculi & inteſtinorum frigens vitium, ſi Balſamus hic præſtò extiterit; Unoq́; ut verbo multa dicam, multæ felicitatis eſt, in cuncto uſu, ob quem Maſtix paſsim celebrari ſolet.

Maſtichæ uſus & Praxis, ad pleraq; morborum genera.

Autorum de Maſtiche dictería, pro Praxi medica facientia. lib. 2. tr. 2. c. 461.

Ad Affectus Capitis.

Maſticatio ejus, extrahit phle-

gma à capite, & mundificat ipſum. *Avicennas. Aëtius.* Tetrab. 1. ſerm. 1.

Pituitam elicit: *Matthiolus*. Præſertim cum cera odorata manſa; *Dalechampius.* Matthiol. in Epit. p. 50.

Pituitam è capite clementer, citraq; moleſtiam detrahit: *Dodonæus.* Hiſt. ſtirp.

Contra humiditates fluentes à capite ad oculos & dentes, & dolorem temporum factum ex ventoſitate, aſcendente à ſtomacho ad caput, pulvis Maſticis cum vino albo odorifero & albumine ovi conficiatur, addito, ſi placet, pulvere olibani, & temporibus ſuperponatur. *Platearius.* Platear. de ſimp. medicina.

Ad Affectus Oris.

Oris halitum commendat, emendatq; : *Inquiunt, Dioſcorides, Dalechampius, Matthiolus, Dodonæus.*

Commanducata ſuperfluitates conſumit, & facit exſcreare in magna quantitate. *Platearius.* De ſimp. med.

Gingivas contrahit. *Dioſc. Dodon.*

Gingivarum tumores reprimit. *Marcellus.*

Liber ſimplicium M.S. Decoctio Maſticis laudatur ad firmandas gingivas, & removet humiditatem earum:

Collutio oris exindè facta confirmat gingivas. *Avicennas.*

lib. 2. tr. 2. c. 461.

Ad Affectus Dentium.

Additur in Dentifricia. *Dioſcor.*

Ponitur in Dentifriciis. *Avicen.*

Additur ad Dentifricia, quę mobiles dentes firmant, & ſordidiores emundant. *Dodon.*

Lib. M.S. Confirmat dentes agitatos & commotos.

Dolores dentium mitigat, dentesq; ipſos firmiores reddit. *Dodon.*

Manditur cum cera ad dentium dolores. *Dalechampius.*

De comp. med. sec. locos, lib. 5. *Galeno, parvus extat, Pythici appellatus, libellus, quem Damocrates Pythicum inſcripſit, ab eo, qui ipſi Pharmacorum ori deſtinatorum compoſitiones tradidit, appellatione ducta, in quo:*

Si de-

Si dentifriciis voles uti bonis
Quæ candidos cuſtodiant, immobiles
Denteſq; reddant, oris graveolentiam
Laxaſq; gingivas ſedent & comprimant:
Cervi cape cornu ſic quater uſti quàm optimè
Libram mediam, rurſus ſalis uncias duas
Ammoniaci ſicci, nec amari hinc amplius,
Alicæq;, Maſtiches CHIÆ *ſolam libram:*
Coſti quadrantem, aut paululum quid amplius:
Albiq; junci tantum, & albi mox piperis
Unam unciam, Malabathri at uncias duas.
Contuſa, cribrata omnia hæc mortario,
Utenda præbebis modo quem dixero.
Quod ſi velis parare quãdo ad phlegmonas,
Et utile gingivis cruentis, ſauciis,
Carnemq; calloſam ſimul promentibus,
Aluminis conjungito his ſciſſi libram.

Ad Affectus Narium.

Cohibet ſanguinem fluentem è naribus, cum thure, ſang. Draconis, leporinis pilis oviq; albo excepta, frontiq; appoſita, cum faſcia arctè conſtricta. *Matthiol. & Dalechampius.*

Ad Affectus Oculorum.

Pilos in oculis replicat. *Dalech. ex Dioſc. id eſt, inquit Lacuna,* confirmat, ſtabilit, atq; conglutinat cilia. *Quæ Ruellius ſic:* Palpebras oculis incommodas replicat. *Cornarius verò ſic:* Agglutinat quoq; palpebrarum pilos oculis officientes. *Quæ ſic intellige: Pilos in Trichiaſi, oculorum affectu, oculum pungentes, extra oculum ſpecillo everſo calens exteriori palpebræ illita, glutinis vice retinet, ne in oculum denuò reſiliant.*

Adhærent enim eâ pili palpebrarum inverſati, juxta Avicennam, fit q; ex Maſtice gluten ſeu colla, quæ pilorum palpebrarum inverſionem prohibet.

Alber. m. ſ. lib. de Oculis. Canamuſali, *Antiquus rei medicæ ſcriptor, inter ea, quæ oculis maximoperè proſunt, &* Maſtichen *celebrat.*

Ad Affectus Pectoris.

Utilis eſt, ſanguinem rejicientibus, & tuſsi veteri. *Dioſcorides.*

Confert

Confert tuſsi & ſputo ſanguinis. *Avic.*

Adhibetur tuſsi & ſanguinem rejectantibus. *Plinius.* lib. 24. c. 7.

Auxiliatur ſanguinem expuentibus, in Eclegmate, & veteri tuſsi. *Dodonæus.*

Ad Affectus Ventriculi.

Stomacho auxiliatur, & ructum amovet. *Dioſcorides.*

Valet ad ventriculi dolores, ſi cum itur dormitum tres ejus grumi devorentur. Non ſolum enim hoc medicamento præſens levatur dolor, ſed ne iterum accidat, efficitur. *Dalechampius.*

Confortat ſtomachum, & aperit appetitum, & ſtomachum facit BONUM, ſolvit eructationem & diſſolvit phlegma ejus, & confert Apoſtematibus ejus STATIM. *Avicennas.* lib. 2. tr. 2. c. 461.

Stomachi imbecillitati & phlegmonæ ejus prodeſt. *Galen. Ægin. & Sylvius.* 7. Simpl. lib. 7. In lib. ſimp. 7.

In

In teſta liquefacta & corio vel panno. ſive chartæ inducta, & poſita ſuper furculam pectoris, vomitum cholericum conſtringit, confortat virtutem contentivam, & digeſtionem debilem ex ægritudine, præſertim in convaleſcentibus, ſed pilis abraſis debet imponi. Aqua decoctionis ejus tepida data, ſtomachum relaxatum corroborat. *Platearius.*

De ſimp. med.

Ad Affectus Ventris, & Inteſtinorum.

Ventris & Inteſtinorum inflammationibus competit. *Galen. Ægin.*

7. ſimp. lib. 7.

Confortat inteſtina, & confert apoſtematibus eorum. *Avic.*

l. c.

In Dyſenteria ad conſtringendam alvum & fluxionem debito modo inhibendam maximoperè Maſtix commendatur. *Amat. Luſit.*

Curat. medic. cent. 2. cur. 53. in ſchol.

Fluxum ventris ex acumine medicinæ reprimit. Aqua etiam Roſarum, decoctionis ejus, cum iij, vel

iiij,

iiij; gariophyllis data tepida, fluxum etiam ventris, & vomitum ex acumine violentæ medicinæ factum conſtringit. *Platear.*

In ſimp. med. lib. 8. c. 67. & ult. ejusd. cit. Melich.

Aëtius, novem ſcrupulorum pondere alvum movere, & duodecim, alvi excrementa dejicere Maſtichen, ſcribit: hisq́ auxiliari multo experimento, qui pharmacum biberint & non purgantur.

Aët. Tetr. 1 ſerm. 1. c. 117.

Quintus Serenus:

Immenſum poteris potu retinere fluorem
Numinis ſi juſſu Cedrum cum Maſtiche miſces,
Mollitamq́; picem, & raſum de navibus unguen,
Languida quo fidens medicamine membra fovebis.

Ad Affectus Hepatis.

Jecoris inflammationibus competit. *Gal. Ægin.* 7. ſimpl.

Confortat hepar, & confert apoſtematibus ejus. *Avic.* lib. 7. lib. 2. tr. 2. c. 461.

Hepatis imbecillitati & phlegmonæ prodeſt. *Sylvius.* lib. 1. ſimp.

Ad

Ad Affectus Uteri.

Confortat matricem frigidam: diſſolvit materiam phegmaticam in eo, exiccatq; ipſam.

Oleum ejus omnibus muliebrium locorũ vitiis confert, leniter calfaciens, ſpiſſans ſimul & emolliens. *Liber vetus m. ſ.*

Ad Affectus Articulorum, & Externorum membrorum.

Articulorum frigidos dolores mulcet atq; tollit externè cum aliis illita. *Matthiolus.* In Epit. p. 50.

Oleum Maſticis commendatur in doloribus juncturarum, cauſatarum à frigiditate. *L. m. ſ.*

Dioſcorides ad duritias imponi dixit, imbuto ſcil. linteolo in ipſo, atq; ita impoſito. *Cornarius.*

Ad Decorationem ſeu Ornatum.

Additur in illinitiones faciei, ad nito-

nitorem cuti conciliandum. *Dioſcor. Dodon.*

Ponitur in Gomaris, & facit poſſidere pulchritudinem. *Avic.*

Hinc Marcellus Vergilius Maſtichen Perſonatam *vocat, & ex eo fortaſſe, quòd, inquit Cornarius,* faciei illinitionibus admixta, claritatem ac nitorem inducit, ut ſit veluti *πϱοσωπῖτις, vel potiùs, quòd* larvis fingendis, *aut etiam exprimendæ hominum faciei, cum alba cera mixta in uſum veniat, id quod ejus artis peritis notiſſimum eſt:* Dalech. ampl.

Et oleum ejus vultus vitia exterit,
colorisq; amabilem illi acquirit bonitatem; *Marcello teſte.*

FINIS.

3